UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

Compendivm Summæ Card. Toleti

Minucius, Genesius

Sammieli, 1613

urn:nbn:de:hbz:466:1-41701

Visual Library



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Th. 2348.

G. I.

II.

UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN



COMPENDIVM Summæ Card. Toleti.

Auctore.

R. P. D. GENESIO MINVCIO

Florentino à Rada Ordinis Vallisumbrosæ.

In Septem libros, & duos Tractatus distinctum.

Altera editio priore accuratior & castigatior.



SAMMIELI.

Apud FRANCISCVM DV BOIS, Serenissimi Lotharingiæ Ducis Typographum.

1613.

TYPOGRAPHVS Lectori Theologo.

Quid hac nostra editione ad priorem illam, Venetam, accesserit, nihil est quod in re minimè obscura hic declarem: deprehendes facilè si illas inter se conferas. Tu, quod vnum restat, nostrum hunc laborem boni consule, & fruere.

SVMMAE Cardinalis Toleti. COMPENDIVM

Ad cõmodiorem vsum tum Confessariorum, tum Pœnitentium selectum.

R. P. D. Genesio Minucio Florentino à Rada Ordinis Vallisumbrosæ Auctore!

LIBER PRIMVS.

De Sacerdotis potestate, & iurisdictione, ac censuris.

Quid Sacerdos, & quare sic dictus. Cap. I.

SAcerdos est VIR* Cultui veri Dei, diuina auctoritate, determinatis personis con-

ceſſa firmiter deputatus, Dicitur Vir. Nã fœminæ diuino iure à Sacerdotii munere exploduntur. Cultui: Eſt autem hic cultus. Reuerentia Deo debita, quæ illi in altaris ſacrificio, vt vero domino: in laudibus, vt omnium optimo; in Sacramentorum adminiſtratione, vt omnium ſalutis auctori, meritò tribuitur.* Veri Dei: vt ethnicorum Sacerdotes excludantur, falſis Diis inſeruientes. * Diuina auctoritate, quia nec vllus ſe, nec reſpublica quemquam propria auctoritate ſacerdotem creare poteſt, ſed hoc Deo ſoli debetur.*Determinatis perſonis: ad excludendam communitatem.* Firmiter, quia noui Teſtamenti Sacerdotium non eſt ad breue tempus, ſed per characteris impreſſionem perpetuò duraturum. Sacerdos autem eſt dictus, quaſi ſacra dans. Clericus, id eſt ſorte electus. Presbyter, id eſt, ſenior, ob iudi-

cii maturitatem, & reuerentiam quæ ei debetur.

In quibus differat Sacerdos euangelicus à cæteris.

Cap. II.

ETsi in quolibet statu, naturæ, Legis, & Gratiæ, Sacerdotes DEO semper ministerium exhibuerunt, ij tamen noui Testamenti sex à priscis distant, quibus & præstant. * Primò, quia nostri diuina creantur potestate. * Secundò. In sua institutione gratiam gratum facientem & indelebilem characterem recipiunt.

* Tertiò Panem & vinum in verum corpus, & Christi sanguinem conuertunt. * Quartò. Differunt sacrificio, nam illi animalia, isti sub speciebus panis & vini Dei filium offerunt. * quint.

mirabili à peccatis absoluendi fulgent potestate.*Sexto. Perpetuæ continentiæ voto tenentur. Quibus omnibus Christo primo Sacerdoti efficiuntur similiores, qui puritate, sanctitate, & excellentia enituit maxima.

De gemina Sacerdotis potestate, & duplici Clave.
Cap. III.

IN Sacerdote Euangelico duplex potestas reperitur, Ordinis, & iurisdictionis.* Prima ad verum Christi corpus conficiendum altera ad mysticum ordinatur, scil. ad regimen & fideliũ vtilitatem. Illa est in quolibet Sacerdote, hæc in primo duntaxat, in aliis enim non nisi quatenus à primo sint delegati reperitur. Potestas à peccatis absoluendi est ordinis, quia tamen ad eius vsum est

neeeſſaria iuriſdictio, appellatur etiam poteſtas iuriſdictionis. Eſt vero illa vna Clauis Eccleſiæ quæ dicitur Clauis iuriſdictionis, præter quam eſt& alia quæ appellatur Clauis ſcientiæ, ad examinandum & interrogandum pœnitentem.

Quid excommunicatio ſit.

Cap. IIII.

EXcõmunicatio eſt * ecclesiaſtica cẽſura, qua homo Chriſtianus communibus fideliũ bonis priuatur. Dicitur * Eccleſiaſtica cenſura, quia eſt pœna, correctionis cauſa, Eccleſiaſtica, non laicali auctoritate inſtituta. * Homo Chriſtianus: non baptizatus enim hãc pœnã minimè incurrit. Priuatur tribus cõmunibus fideliũ bonis: exteriori videlicet cõuerſatione, ſacramẽtorũ participatione,

Ecclesiæ orationibus,& suffragiis, cæteris non priuatur, nempe fide interiori,gratiæ & charitatis communione, atque particularium amicorum orationibus. Immo si contritus absolutionem obtinere studuerit, ea etiam non habita, communibus Ecclesiæ suffragiis iuuabitur. Hinc sequitur excommunicationem esse malũ pœnæ pro culpa inflictum, peccato veniali de se leuius ratione tamen causæ qua fertur, & effectus qui inde sequuntur, grauius.

De speciebus excommunicationis.
Cap. V.

Bipartitur excõmunicatio in maiorem,& minorem. *Maior tribus priuat antedictis bonis; * Minor verò tantum sacramentorũ participatione Vtraque duplex,à iure, & ab homine,à iure dicitur, quæ per aliquẽ canonem

fulminatur, vt contra clericorum percussores: AB HOMINE dicitur quę ab aliquo iudice fertur. Hæ rursus subdiuidi solent in comminatoriam, quæ non statim ligat, sed iudicis sententiam expectat: & latæ sententiæ, quæ statim ligat. Dignoscitur hæc ab illa, quia si dicatur sub pœna excommunicationis, aut excommunicetur, vel per aliud verbum futuri temporis, est comminatoria: si vero dicatur per verbum præteriti, sit ipso iure excommunicatus, vel ipso facto, est latæ sententiæ. Differunt à iure, & ab homine, quia illa est semper generalis, hæc interdum particularis. Excommunicatio iuris viget etiam mortuo conditore quę autem ab homine est, statim perit eo mortuo, sic vt neminem amplius ligare possit: non tamen ita vt qui ea iam ligati erant censeantur absoluti. Ab excommunicatione iuris nulli reseruata ab-

soluit Episcopus, non autem ab illa, quæ est ab homine. Illa ligat omnes contrarium agentes in ditione legislatoris, quamuis tépore legis datæ subditi non essent: Ista autem ab homine, ligat tantum subditos in iurisdictione iudicis commorantes dum fertur excõmunicationis sententia. Demum inducta excommunicatio per statutum Metropolitani Archiepiscopi: ligat etiam subditos suffraganeorũ: lata verò per ipsiusmet Archiepiscopi sententiã, cõpræhendit tantũ ipsius Diœcesis subditos.

De causa efficienti, & materiali excommunicationis.

Cap. 6. 7. & 8.

FOemina & laicus sine Papę commissione excõmunicare nõ possunt, nec sacerdos, nec simplex curatus, nec qui excommunicati sunt in maiori: sed

tantum personæ Ecclesiasticæ iurisdictionem in foro exteriori non impeditam habẽtes, vt Papa, Concil. generale, Concil. prouinciale, Episcopus. Generales ord. Abbates. Priores Prouinciales, Guardiani: ac denique omnes iurisdictionem Ecclesiasticam in foro exteriori habentes. Causa materialis est duplex, remota, & & proxima: remota est persona, quę excommunicari potest, & est rationalis creatura baptizata, viua, inferior, & subdita Respublica, vel tota ciuitas non potest excommunicari per sententiam, nisi in particulari singuli peccati conscii distinguantur. Nemo autem infidelem, vel seipsum, aut non subditum, seu mortuum excommunicat, sed excõmunicatio in vita contracta, & non soluta, durat etiam post mortem, & post mortem absolui potest excommunicatus. Causa materialis pro-

xima est peccatum mortale consummatum, contumacię coniunctum, quod intelligitur etiam, quando fulminatur in futurum peccatum ex inobedientia, quia omnis inobediens, præsumitur contumax. Ignorantia inuincibilis excusat, nec vlla excommunicatio iuris comprehendit mandãtes, consulentes, fauorem, vel auxilium præstantes, nisi exprimatur, sed solum facientes, & quando illi exprimuntur, non incurrant, nisi sequatur effectus.

De causa formali, & finali excõmunicationis, & de sententia, iusta, & iniusta, valida, & inualida. Cap. 9. & 10.

IN iure non assignatur aliqua excõmunicationis forma determinata, sed possumus vti huiusmodi verbis excõmunico, sepa-

ro, anathematizo, &c. in ea vero excommunicatione, quæ ab homine fertur, nonnullæ circunſtantiæ ſunt neceſſariæ. * Prima, quod præcedat trina admonitio, aut ſaltem vna pro tribus, datis tribus interuallis duorum dierum pro ſingulis. Quando verò eſt caſus quiſpiam à iure ſub excommunicationis pœna vetitus, poteſt quis ab homine ſine vlla admonitione propter idem delictum excommunicari. * Secundò neceſſe eſt, vt feratur non ſolum iudicis verbo, ſed etiam ſcripto, quo excommunicationis cauſa exprimatur. * Tertiò, requiritur iudicis intentio, & partis. * Quartò expreſſio cauſæ rationabilis, & manifeſtæ. * Iuſta & valida eſt excommunicationis ſententia, cũ circunſtantias omnes habet eſſentialiter requiſitas. * Inualida, ſi errorem contineat intolerabilem, vel aliquid impoſſibile,

aut leue nimis, quale est peccatū veniale. * Iniusta est sed valida, quando caret aliquibus nō essentialiter requisitis, vt si non præcedant omnes admonitiones, vel non fiant in scriptis, si odio, vel iniqua feratur intentione: si autē iudex erat publicè suspensus, vel excommunicatus aut nullam habebat iurisdictionem, vel reus tēpore debito appellauit, iniusta, & inualida pariter erit. * Causa finalis est vtilitas & proximi fructus, nēpe vt resipiscat, & ad bonum conuertatur.

De effectibus maioris excommunicationis.

Cap. 11. 12. & 13.

PRiuat excommunicatio maior publicis Ecclesiæ orationibus, Missa, & suffragiis: actiua, & passiua sacramentorum

participatione, & externis his bonis, quæ hoc versu continentur.

Os orare, vale, communio, mensa negatur.

Habet tamen hæc lex duas exceptiones: vnam quæ hoc versu continetur.

Vtile, lex, humile, res ignorata, necesse.

Alteram inductam per Martinum v. & Conc. Const. vt solum vetetur illa communicatio quando excommunicati sunt notorii Clericorum percussores. vel nominatim excommunicati postquam denuntiati fuerint, & hæc quo ad communicantes, nam ipsi excommunicati in vniuersali peccant non se separando ab aliorum cõuersatione in casibus expositis. Sunt & alii excommunicationis effectus magis proprii: * Primo namque participans cum excommunicato in crimine criminoso:

consilium, fauorẽ, vel auxiliũ præstans incurrit eandẽ excõmunicationis sententiam.* Secundò. Collatio beneficii facta excõmunicato est ipso iure nulla. *Tertiò excõmunicatus non potest exercere iurisdictionis actum absque peccato neque actum ordinis, vnde nec potest eligi ad beneficiũ, illius subditi absoluuntur à vinculo fidelitatis, ipse priuatur actu iuridico accusandi, testificandi· patrocinandi, Ecclesiastica sepultura, & beneficiis priuari potest, si per annum fuit excommunicatione ligatus, estque de hæresi suspectus. vnde & ab Inquisitoribus in iudicium vocari potest, ac beneficiorum fructus percipere prohibetur, & qui Iuramento illi erant obstricti eo liberãtur durante excommunicatione.

De excommunicationis absolutione.

Cap. 14. 15. & 16.

PLuribusexcommunicationibus detentus, pluribus indiget absolutionibus. Absolutio autem duplex est, in foro exteriori, & in foro interiorivel cõscientię. *Prima potest dari etiam à non sacerdote * secunda ad sacerdotem tantùm spectat, sed debet esse sine conditione futuri, & tunc tantùm danda quando excõmunicatus est satisfacere paratus. Forma absolutionis nõ est certa, ideo illis verbis sufficiet vti, quibus absolutionis exprimatur actus. In absolutione solemni primo iurare cogunt absoluendum Ecclesiæ & absoluentis præceptis pariturum. de hinc cum psal. & oratione dominica verberibus etiam additis, pœnitentem absoluũt dicẽtes, Absoluo te à vinculo excommunicationis quod incurristi, & restituo te sacramẽtis Ecclesiæ, vltra enim aliquid addere, haud est necesse.

Absolutio iniusta, valet,nó tamen per vim,& metum extorta,etiamsi iusta esset causa:quandovero causa est expresse falsa, absolutio est nulla,nisi vt sic etiam iudex intenderet absoluere. In mortis articulo etiam simplices sacerdotes, & à peccatis,& à censuris reseruatis absoluunt. Concil.Trid· Sess.14.cap. 7. At cum primũ pœnitens euaserit periculum,& cõmodè potuerit, debet se ei præsentare, qui verè ac iurè poterat, eum absoluere. Qui autem morte præuentus absolui potuit, si ante ostendit contritionis signa, & absolutionem petiit, etiam mortuus absolui poterit,& in sacro sepeliri, etiam si fuisset hæreticus. Extra mortis articulum simplex sacerdos absoluere non potest à maiori excommunicatione sine priuilegio, nec similiter ille qui habet Iurisdictionẽ impeditã laicus vero non quidem in eo articulo. Ab excommunicatione

reſeruata ille ſolus & omnis (præterquam in certis quibuſdem caſibus) abſoluere poteſt, qui eam ſibi reſeruauit, à non reſeruata verò etiam à Papa lata, abſoluere poteſt ordinarius, & proprius confeſſarius habens à mortalibus abſoluendi poteſtatem: qui licet iuriſdictionem non habeat, abſoluere videtur ex Papæ commiſſione. Extra proprium territorium, nec ordinarius excommunicare, vel abſoluere poteſt etiam ſubditum ſine licentia diæceſani ſaltem vbi eſt neceſſaria cognitio cauſę cum ſtrepitu forenſi, nam ſecus poteſt.

De minori excommunicatione.

Capit. 17.

MInor excõmunicatio priuat tãtũ ſacramentorum paſſiua participatione, quare minori excõmunicatione detẽti, ſi ſacraméta ſumant, mortaliter peecãt: nõ tamen fiunt irregulares

nec peccant saltem mortaliter, si aliis tantũ ministret sine mortali. Priuat etiam eadẽ excommunicatio beneficii ecclesiast. passiua electione, & qui eligitur sciens, mortaliter peccat, & talis electio licet valida, est per iudicis sententiam annullanda. Hæc excommunicatio contrahitur cõmunicando, cũ nominatim excõmunicato & publico clerici percussore. Qui hac ligatur, potest à quolibet sacerdote absolui, inquit Toletus, facultatem habente à mortali absoluendi, & etiam à non approbato, si pœnitens mortali culpa careat.

De excommunicationibus Bullæ Cœnæ Domini. Prima contra hæreticos.

Cap. 18. 19.

BVlla hæc, illa est, quã Sixtus v. anno 1586. publicari mandauit. Continet quasdã speciales excommunicationes, quæ

Summo Pont. reseruantur, & rarò aliis conceditur ab eis absoluẽdi facultas. Solent huiusmodi excommunicationes interdum vocari processus, & his antiquiores nempe Greg. XI. qui sedebat anno 1370. reperiuntur in Bibliotheca vaticana. Sunt quidem ab homine, sed habent vim iuris, quia generaliter fulminantur, vnde etiam mortuo Papa efficaciam habent, & Sede vacante ligant, sicuti Pius Quintus optimè sanxit.

*Prima excommunicatio contra hæreticos fertur & ligat vndecim personarum genera. Hæreticos omnes, eorũ credentes, receptores fautores, defensores, libros hæreticorum hęresim continẽtes, vel de religione tractantes, sine licentia Sedis Apost. legentes, eosdem libros retinentes, imprimentes, quomodolibet publicè, vel occultè, aut quouis prætextu defendentes, schismaticos, & eos

qui à Rom. Pontificis pro tempore existentis obedientia pertinaciter deficiunt, aut ab illa recedunt. Hæretici dicuntur, qui aliquem errorem habent contra fidē cum pertinacia, cum qua etiam dubius in fide, & in iis, quæ fidei sunt, dicitur infidelis & hæreticus c. 1. de hęresi. Non ligat hæreticos mentales, sed eos, qui nutu, signo, vel facto aliquo hæresim exterius manifestarunt. Nec defensores, & receptatores illos, qui hęreticos, solū vt consanguineos, aut affines, vel amicos, aut homines ex pietate, seu amore, recipiunt. Neque illos, qui à pontificis obedientia recedunt, quatenus est princeps temporalis, sed illos, qui ab eo recedunt tanquam Christi Vicario.

De secunda & tertia excommunicatione eiusdem Bullæ.

Cap. 20.

IN* secunda excommunicatione tria clauduntur personarum genera. Appellantes ad futurum Concilium generale ab ordinationibus, sententiis, vel mandatis summi Pontificis: dantes ad hoc consilium, & fauorem præstantes effectu secuto. * Tertia lata est contra Pyratas, Cursarios & Latrunculos maritimos: discurrentes mare Ecclesiæ, præcipuè à Monte Argentario vsque Terracinam, & contra eorundem fautores, receptatores, & defensores. Per Pyratas hic intelligunt, non modo eos qui Christianos re ipsa deprædantur, sed eos etiam qui per mare vagantur vt de illis prædam agant etiamsi nulla alia sequatur actio.

De quarta & quinta excommunicatione. Cap. 21.

EXcommunicatio * Quarta est contra sùrripientes Christianorum naufragantiũ bona, cuiuscũque generis illa fuerint siue in nauibus existentia, siue ex eisdem eiecta, aut in littore inuenta, & in quouis mari, quam omnes statim incurrunt, si restituendi careant intentione · sine qua etiam si postea restituant, ligati manent donec absoluãtur.* Quinta comprehendit imponentes noua pedagia, & quodcunque tributum, vel iam imposita augentes sine sedis Apost. licentia, & illos qui prohibita, vel iniusta exigi curant, ligat etiam officiales, & ministros exigentes. Tributa autem exigendi facultatem regulariter habent imperatores, Reges, & Italiæ Principes, qui nulli sub-

duntur, & mistum habent imperium, vti sunt illustrissimi Veneti, & Magni duces Sabaudiæ, & Etruriç. Qui autem sub alterius sunt iurisdictione, nec imponere, nec exigere queunt.

De Sexta excommunicatione. Cap. 22.

INcludit falsarios literarum Apostolicarum, id est, falsò literas Apostolicas scribentes in forma breuis, gratiam vel iustitiam concernentes, falsò huiusmodi supplicationes nomine Romani Pontificis, seu Vicecancellarii, aut eorũ vices gerentis signãtes, ligat etiam defensores, & fautores, eorundem. literæ Apostolicæ sunt Bullç plumbatæ & breuia Apostolica. Non tamen includunt impetrantes, litteras subreptitias, vel litteras legatorum, seu Nuntii Apostolici · nec qui sensu-

immutato, vnam literam, vel dictionem mutant, nec habentes falsas litteras sine vsu, vel inutiles domi in scrinio conseruantes.

De septima excommunicatione Bullæ. Cap. 23. & 24.

ESt contra deferẽtes arma offensiua, & defensiua infidelibus, Christianos impugnantibus, quã incurrunt etiam deferẽtes ferrũ & ferri filum, stannum, chalibem, equos, instrumenta bellica, lignamina, quibus naues, & triremes fiunt, funes & funium materiam. Item certiores facientes ipsos infideles, Turcas, & Saracenos, vel etiam Hæreticos de statu Christianæ Reip. in detrimentum eiusdem: cõsilium etiam & fauorem præstantes: Non ligat vendentes arma in terris infidelium absque delatione, nec defferentes inter eos ex vna ciuitate in aliam

nec asportantes merces, aut victualia, nec Christianos in infidelium triremibus contra Christianos remigantes, nec similiter qui gratitudinis gratia ensem, vel equum ad ipsos afferrent.

De Octaua, Nona, Decima, & Vndecima excõmunicatione.

Capit. 25.

Octaua excõmunicatio ligat inuadentes, impediẽtes, & perturbãtes eos, qui victualia ad vsum Romanæ Curiæ necessaria deferũt. Romana Sedes ibi est vbi Papa; vnde per Romanã Curiã nõ intelligitur Populus Romanus, sed immediatè vel mediatè Papæ inseruientes, quales sunt etiam, qui Cardinalibus atque Episcopis ibi inseruiunt. Non claudit illos, qui talia victualia, aut ea deferẽtes impediunt ob necessitatẽ propriæ Reip. sed eos,

qui ex odio, vel inuidia impediunt, atque eorum defensores, & fautores.* Nona fulminatur contra capientes, detinentes, spoliantes, mutilantes, interficientes venientes Romam, ibique commorantes, vel inde discedentes. Ligat tamen solùm illos qui ad Sedem Apostolicam veniunt Pontificis intuitu, non illos qui alia ratione Romam proficiscuntur.

*Decima contra interficientes, mutilantes, vulnerantes, detinentes, capientes, & deprædantes Romipetas, & ibi commorantes, vel inde deuotionis ergo abeũtes. Cõprehendit etiam consilium, auxilium, vel fauorem præbentes.

* Vndecima lata est in eos, qui hostiliter insequuntur, capiunt, detinent, incarcerant, percutiunt, vulnerant, mutilant, vel interficiunt, S. R. E. Cardinales, Archiepiscopos, Sedis Apost. Legatos, Nuntios, & Episcopos conse-

cratos, & eicientes eosdem à suis Terris,& Diœcesibus.

De duodecimâ, & Tertiadecima Excommunicatione.

Cap. 26.

CLaudit illos, qui aliquo modo impediunt cursum causarum Rom. Curiæ, siue per se, siue per alium, directè, vel indirectè, aut consilium, vel fauorem ad hoc pręstant, aut auxilium: ersi huiusmodi persecutores in Romana fuerint Curia, si verberent, aut ibi interficiant, duobus Bullæ vinculis liganfur * Tertiam decimã incurrunt impedientes executionem literarum Apostolicarum etiam in forma breuis, tam gratiam, quam iustitiam concernentium,& etiam citationum, inhibitionum, sequestrorum, monitoriorum, processuum & aliorum decretorũ à Sede Apostolica,

vel legatis : Nuntiis , præsidentibus & aliis quibuscunque delegatis Apostolicis emanantium.

De Excommunicatione decimaquarta, & decimaquinta
Cap. 27.

FVlminatur decima quarta contra reuocantes causas spirituales à iudicibus Ecclesiasticis, vel impedientes ipsarũ causarũ cursũ prosequi volentes, ac se tanquam iudices de illarum cognitione inter ponentes. Claudit assensum , fauorem , consilium, & auxilium ad id dantes , etiam prætextu violentiæ prohibendæ Ligat etiam Reges, Duces, Principes, Laicos omnes , Prælatos, Clericos , & Religiosos cuiusuis conditionis,& status. Decima quinta compræhendit illos, qui quauis prætensione personas Ecclesiasticas quarumcunque Ecclesiarum

ad suam audientiam, vel Cancellariam, aut Tribunal, præter iuris Canonici dispositionem, trahunt vel trahi faciunt directè, vel indirectè, non obstante quacunque, consuetudine, vel priuilegio. Non claudit illos, qui secundum iuris dispositionem ad suum forum prædictas personas Ecclesiasticas trahunt, vt si tales personæ iam brachio seculari fuerint traditæ, aut de licentia Episcopi, seu reconuentionis via.

De Decima sexta, & decima septima excommunicatione.

Cap. 28.

HÆc est cõtra impedientes Episcopos, Archiepiscopos & alios inferiores prælatos ac etiã quoscũque iudices Ecclesiasticos, quo minus sua iurisdictione Ecclesiastica vtãtur, & cõtra eos qui post ipsorũ sẽtẽtias, & decreta

curias seculares recurrunt. Ligat etiam eos, qui hęc decernunt, dant auxilium, consilium, fauorem, vel patrocinium. * Decima Septima est, contra vsurpantes, vel sine Romani Pontificis licentia fructus sequestrantes, prouentus, seu reditus ad Sedem Apostolicam, aut ad personas Ecclesiasticas quarumuis Ecclesiarum, vel Monasteriorum aut beneficiorum pertinentes. Limitatur tamen, vt dicta bona ad prædictas Ecclesias, & personas Ecclesiasticas ratione beneficiorum pertineant, & talis vsurpatio sit quasi quædã appropriatio, ac si sua essent.

De Decima octaua, & decima nona excommunicatione.

Cap. 29.

DEcima octaua cõpræhẽdit illos qui collectas, decimas taleas, prę stantias & alia

onera cle-

clericis, prælatis, & aliis personis Ecclesiasticis, aut earum Ecclesiarum bonis, vel fructibus, aut reditibus, absque Rom. Pontificis licentia imponunt, aut exigunt, aut sic imposita à sponte dantibus recipiunt, nec non contra illos, qui hæc facientibus, auxilium consilium l, vel fauorem impendũt. Non igat illos, qui talias imponunt clericis secularia negotia tractantibus, sed illos, qui per se, vel per alios, directé, vel indirectè cuiuscunque status, & conditionis fuerint, Ecclesiastica tractãtibus, sine licentia imponunt.

*Decima nona compræhendit, omnes Magistratus, & Iudices, Notarios, & Scribas, executores, vel subexecutores, quosliber se interponentes in causis capitalibus, seu criminalibus. contra personas Ecclesiasticas, illas processando banniendo, capiendo, seu contra, illas sentẽtias ferẽdo, sine speciali

licentia Sedis Apostolicæ.

De excommunicatione vigesima, & vltima Bullæ Cœnæ Domini. Cap 30.

LIgat quoscunque, qui per se vel per alios quouis colore occupare, & destruere, vel detinere præsumpserint vrbẽ Romam, ac Ciuitates alias, terras, & iura ad ipsam Romanam Ecclesiam pertinentia. Superiores verò excommunicationes ita reseruantur, vt nemini extra mortis articulum liceat ab eis absoluere, & si qua in iis anteà absoluendi aliquibus concessa fuerint priuilegia, nunc reuocantur per Rom. Pontificem, & qui aliter ab eis absoluere præsumpserint, excõmunicantur. Hæc tamen excommunicatio quæ generalis est, quãuis olim per Paulum II fuerit reseruata, nunc tamen probabilius est

nulli reseruari: cæterum ne quis fortè decipiatur solemnis illa ac generalis absolutio quæ datur in die Cœnæ, minime fauet excommunicatis absque alia speciali absolutione, quinimo nec absolutio ipsa proderit, nisi facta prius contra libertatem Ecclesiasticam, certò reuocauerint, & de hoc Ro. Pontificem certiorem reddiderint Præcipit insuper Romanus Pontifex in virtute sanctæ obedientiæ omnibus Prælatis saltem semel in anno huiusmodi literas vbi eas acceperint in eorum Ecclesiis solemniter publicari; & omnibus Rectoribus, & curam animarum gerentibus, vt easdem apud se habeant, & legant.

De excommunicationibus extra Bullam Papæ tamen reseruatis, & primò de excõmunicatione ob manuũ iniectionem.

Cap. 31.

QVatuor sunt necessaria ad hoc quod hæc Excommunicatio liget. Primum, vt sit manuũ iniectio, vel percussio, qua intelligitur omnis effectus violentus in personam, vel in iis quæ personæ ipsi hærent, vt si quis aquam, puluerem vel saliuam per modum iniuriæ proiiciat, aut equi frænos, vel aliud quid simile è manibus eripiat: vel violenter teneat etiamsi absit læsio. Prętęrea qui clericum persequendo cogit illum se præcipitè dare, secus si sine percussione cadat, & lædatur: Insuper omnis effectus iniuriosus, licet non sit violętus, hac excommunicatione

punitur. Non autem verba maledica, nec cõminationes si effectus non sequatur.* Secundò debet esse violẽta ac volũtaria, quia in casualibus non ligat, licet etiam sequatur homicidiũ.* Tertiò oportet vt sit suadente Diabolo, & ita notabilis percussio, quod sit peccatum mortale.* Quartò necesse est, quod sit facta in clericum vel Monachum. Per clericum verò intelligitur vir habens primam Tonsuram, & quod alicuius Ecclesiæ sit seruitio ab Episcopo deputatus eique seruiat, etiam si fuerit verbaliter tantùm excommunicatus, suspensus vel irregularis, aut degradatus: non autẽ si realiter sit talis. Per Monachum quemlibet regulatem intelligi volunt. Nouitium, Professum, Cõuersum, & etiam moniales: Quinimò & Fratres Tertii Ord. SS. Dominici ac Francisci, qui collegialiter viuunt, & habitum deferunt: He-

remita similiter, qui est alicui Regulæ subiectus: Milites S. Ioannis Hierosolimitani, qui Regulam Sancti Augustini profitentur, extenditur ad mandantes talem manus iniectionem per alios fieri, ad illos quorum nomine facta est, etiam ipsis ignorantibus, dummodo post, scientes ratam habeant: Ad consentientes, qui cooperantur per consilium, auxilium, vel fauorem. Ad dolose non impedientes, cum possunt.

De iis qui ab excommunicatione absoluere possunt. Cap. 32.

TRiplicem percussionē, seu corporis lęsionē tradit Abbas Panormitanus: enormem mediocrem, & leuem, enormis dicitur membri mutilatio, & magna sanguinis effusio: Mediocris, quæ minorem dicit læsionem

leuis dicitur illa (dummodo sit peccatum mortale.) quę fit pugno, palma, pede, aut etiam ligno vel lapide, sine vuluere. Ab enormi absoluit tantum Papa, à mediocri, & leui Episcopus absoluit clericos, & laicos : Abbas verò suos Monachos, & alios regulares absoluunt eorum prælati. Si autem percussus sit alterius Religionis, ab vtriusque superioribus est absoluendus : si verò clericus à religioso percutiatur. tunc religiosus non potest nisi à Papa absolui Pueri ante pubertatem, id est ante 14. annum, mulieres, moniales, ad itinerandum impotentes vt claudi, cæci, pauperes, qui nequeunt nisi quotidiano labore sustentari, Monachi, qui non habent viaticum, mendicantes Christiani, Magnates, & delicati, qui laborem sufferre nequeunt, ab Episcopo absoluuntur.

Quando & in quibus casibus non incurritur hæc excommunicatio. Cap. 33. & 34.

NOn contrahitur quando percussio fit ioco vel fortuitò vt si quis dum turbas cohibet & arcet, clericum percutiat vel si causa vim vi repellendi cum moderamine inculpatæ tutelæ, nec quando percutitur clericus turpiter cum matre, vel sorore inuentus, nec quando signis deficientibus, clericus nō creditur, vel si sit degradatus, seu habitu careat, & tonsura, aut ioculatorum artem per annum exercuit, nec si à muliere percutiatur, qua de stupro tentauerat: nec si correctionis, disciplinæ, vel deuotionis gratia à Prælatis sicut Magistris (quibus licet etiá Sacerdotes percutere) clerici vel monachi percutiantur, seu in minoribus cōstituti à patribus,

ab iis, qui Ecclesiæ curã habent ne officium turbetur, etiam vsque ad sanguinis effusionem è naribus, Verũ si in correctione inueniatur excessus peccati mortalis, excedẽtes, incurrunt, dummodo talis excessus non fuerit subitaneus. Percutientes ex odio excommunicantur omnes: & quamuis Episcopus per alium, clericum suum percutere possit, Abbatibus tamen non licet nisi per se ipsos, extra necessitatem: vt cap. vniuersis, de sent. Excommunicationis. Torturam autem per laicos dantes. Panormit. dicit ligari. Nauar. ait peccare tantũ mortaliter. Sed verius ab vtroque vinculo excusantur. Qui mandauit clericum sine auctoritate, & iustitia percuti, & reuocauit mandatum ante percussiónem sciente mandatario, non incurrit, etiam si post mandatarius percutiat, nec mandans, qui ante mandati executio-

nem moritur, nec satellites, qui superiorum licentia clericum capiunt,& in vincula trudunt. Quãdo vero clericus, vel religiosus se ipsum ex ira, & odio percutit, incurrit, si verò se offerat percutienti,sponte,non ipse, sed percutiens est excommunicatus.

De aliis excommunicationibus Papæ reseruatis ex Decretalibus. Cap. 35.

PRima in eos lata est, que vltra annum à Papę delegato excommunicati, permanserunt in excommunicatione.* Secunda. In falsarios, & habentes apud se literas falsas.* Tertia. Contra communicantem sponte, & scienter in diuinis cum excõmunicato à Papa per sententiã.* Quarta. Contra incendiarios excommunicatos & denuntiatos.* Quinta. Contra raptores rerum Eccle-

harum, monasteriorum, hospitalium, & effractores serarum, portarum, murorum, ac locorũ piorum eorundem. * Sexta contra eligentes, & electos si consenserint, in senatorem vrbis Romæ vel regimen alicuius gubernationis Imperatores, Reges, Duces, Marchiones, Barones, & Comites, aut eorũ filios; & nepotes, nec vllus ad prædicta officia in eadem vrbe eligi potest vltra annum sine licentia Pontificis, per litteras expressas. *Septima. Contra imponentes Talias clericis, de quibus supra in Bulla Cœnæ. D.* Octaua. In eos qui hostiliter insequuntur Cardinales, de qua etiam supra.* Nona. Contra mandantes, & persequentes illos, qui iustam excommunicationis sententiam promulgarunt: aut eandem obseruant.

De excommunicationibus Papæ reseruatis ex Clement. & Extrauag. Capit. 36.

PRima est cõtra Inquisitores, & eorum substitutos, seu Vicarios ipsius Episcopi, qui odio, vel lucri amore contra iustitiam aliquid committũt, aut alios vexant, vel eis hæresis crimen imponunt. *Secunda contra Religiosos sacramenta Eucharistiæ, Matrimonii, & Extremæ Vnctionis etiã in articulo mortis ministrantes, non habita prius Parochi licentia. *Tertia fertur contra percussores Episcoporum. *Quarta contra Religiosos, qui laicos ad vouendum, vel iurandum seu promittendum inducũt, vt in eorũ Ecclesiis sepulturas eligant, vel ibi electas non immutẽt. *Quinta, contra tẽporales, dominos, qui quomodolibet aliquem cogunt in loco interdicto celebrare. *Sexta. in eos qui præ-

textu confessionalium, vel gratiarum à Sixto 4. concessarum absoluere præsumunt simoniacos, mutilatores, vel occisores existentium in sacris: Violatores ecclesiasticæ liberatis, & à casibus in Cœna Domini. vel dispensant in votis castitatis, Religionis, Hierusalem, Sancti Iacobi, & sancti Petri Romæ. excusantur tamen si contra faciant ex ignorantia, vel sine prædictorum confessionalium prætextu.* Septima contra exhumantes humana corpora, vel eadem dilaniantes, nisi fiat inter infideles, vel ratione anatomiæ inter Christianos.* Octaua. Excommunicantur dantes, & accipientes pecuniam ex pacto pro ingressu monasteriorum virorum, & mulierum · si tamen aliquid accipiatur in sustentationem monialium, aut paciscantur super dotibus earundem, non excommunicãtur.* Nona, contra simo-

niacos, procuratores simoniæ, & scientes huiusmodi contractus, & non manifestantes: quamuis de non manifestantibus non fit in vsu.* Decima, contra Fratres mendicantes, cuiuscunque sint Ordinis transeuntes ad aliam Religionem, illa Chartusianorum excepta, sine Sedis Apostol. licentia.* Vndecima est Sixti 4. & Concil. Trid. sess. 4. vbi excommunicantur affirmantes eos mortaliter peccare, vel illos esse hæreticos, qui dicunt B. Mariam Virg. conceptam sine peccato originali, & illi pariter, qui contrariam sententiam damnant.

De excommunicationibus non reservatis ex Decreto, & Decretal. Cap. 37.

PRima est contra Iudices, & Gubernatores laicorũ iustitiã non obseruantes post tri-

nam Episcopi admonitioné. * Secunda. Contra electum in Papam à minori numero duarú partium Cardinalium, si suæ Electioni consentiat. * Tertia. Fulminatur contra imponétes iniustas talias, vel collectas personis Ecclesiasticis. *Quarta. Contra Religiosos professos exeuntes è monasterio ad audiendas leges, vel medicinam, nisi intra duos menses reuertantur. * Quinta. Lata est in Sacerdotem habentem Vicecomitis, aut Præpositi secularis officium. *Sexta. Ligat spoliantes Christianos naufragantes : quæ est etiam in bulla Cœnç Domini. * Septima. Contra violantes libertatem Ecclesiasticam per modum statuti, vel consuetudinis, nisi id de suis libris decretalibus post duos méses à publicatione huius sententiæ deleuerint. * Octaua. Contra recipientes ordines, vel beneficia, & alia huiusmodi à schismaticis,

& eos qui cõsenserint ordinationi illoru m.

De Excommunicationibus non reseruatis, in sexto.

Cap. 38.

EXcommunicantur * primò mittentes scripturã, vel nunciũ Cardinalibus in conclaui existentibus, vel cum eis secretò loquuntur.* Secunda est contra dominos, & officiales non obseruantes ea, quæ in morte Papæ obseruanda sunt.* Tertia. Ligat spoliantes, & iniustè persequentes personas Ecclesiasticas, eorũ Ecclesias, vel monasteria, aut consanguineos vsque ad 7. gradum, si id faciant propterea quod nolint aut noluerint eligere eos pro quibus rogarunt.* quarta. Contra de nouo vsurpantes iũs custodiæ vel guardiæ Ecclesiæ vacãtis, vel titulũ, aut bona ipsius capientes, aut hæc fieri procurantes.* Quinta. Com-

prehendit illos, qui sunt deputati ad dirigendas moniales in suis electionibus si non abstinent ab iis, ex quibus discordiæ inter eas oriri solent.* Sexta Claudit procurãtes, quod Iudices conseruatores sibi dati, intromittant se ad alia, quàm ad manifestas iniurias, & extendant potestatem ad ea, quę iudicialem exigunt discussionem.* Septima. Contra extorquentes vi, aut metu, excommunicationis absolutionem, aut suspensionis, vel etiam interdicti.* Octaua. In eos, qui fraude iudicem in domum alicuius mulieris inducunt, vt eius testimonium accipiant.* Nona. Contra compellentes personas Ecclesiasticas, vt Ecclesias suas, vel eorum bona immobilia, vel iura laicis subdant, si autem hoc fiat ad breue tempus, vt infra, decem annos, non ligat.* Decima. Ex Siluest. Cõtra inuentores nouarum Religio-

num, vel Religionis nouæ habitum sumentes: sed melius dicitur eam excommunicationem tãtum esse contra ordines quosdam mendicantes, qui hodie non extant, quemadmodum nec fraticelli, qui in extrauaganti quadam Ioan. 22. excommunicantur. *Vndecima. Compræhendit exigentes per se, vel per alium pedagia à personis Ecclesiasticis pro rebus, quæ negotiationi non sunt expositæ. * Duodecima, contra impedientes Ecclesiasticam iurisdictionem, & compellentes personas Ecclesiasticas litigare, aut Ecclesiasticum forum relinquere, & transire ad seculare. * Decima tertia, contra dominos temporales subditos suos impedientes, ne personis Ecclesiasticis quicquam vendant, aut ab eisdem emant.

*Decima quarta, cõtra Religiosos professos in Religione approbata, qui temerè, & sine causa ha-

bitum dimittunt, & qui sine licentia Prælatorum ad studia literarum extra clausstrum se conferũt, ligat etiam Doctores, Magistros, qui tales habitu dimisso leges aut physicam docent. Si verò dimissionis habitus sit rationabilis causa, vel non temeraria, aut ad breue tempus alium etiam sumãt ad ludum, aut ad festum non incurrunt: quinimò, nec si talis dimissio cum mortali sit coniuncta ad horam, & ad aliquod mortale peccatum commodius perpetrandum, sed tantum quando quis ita assumit alium habitum, vt arbitrio viri prudentis dicatur proprium dimisisse. Et eadem est ratio, si proprium ita occultet, vt ex illo cognosci non possit cum sit religiosus, nam etiam tunc excommunicatur. * Decima quinta, est contra illos qui scienter præsumunt tradere Ecclesiasticæ sepulturæ hæreticos, eorum

credentes, receptatores, defensores, fautores, nec absoluendi sunt quousque publicè extumulent & proiiciant eorum cadauera. Et locus ille perpetua caret sepultura. *Decima sexta excommunicatio est contra Rectores, & dominos temporales in causa hæresis se immiscentes, aut iniuncta sibi per Episcopum, vel Inquisitorem non implentes, aut implenda impedientes. * Decima septima, contra illos, qui per assassinos aliquem Christianũ occidere mandant, etiamsi mors non sequatur.* Decima octaua, contra Clericos, qui vsurariis extraneis domos suas conducunt, vel in iis habitare permittunt ad vsuras exercendas, si intra tres menses eos à terris suis non expellant. * Decima nona, contra Reprensalias concedentes contra Ecclesiasticas personas, vel eorum bona. *Vigesima- In Principes, & Iudices, qui

non obseruant obseruanda contra persecutores Cardinalium.

De *Excommunicationibus non reseruatis in Clement.*

Cap. 39.

PRima est contra illos, qui sequestrationem beneficii Ecclesiastici per triennium pacificè non possessi factam ab ordinario per sententiam diffinitiuam & apud Sedem Apost. promulgatá impedire, vel fructus sequestratos occupare contendunt.* Secunda. Contra humantes tépore interdicti in causis non permissis, cadauera publicè excommunicatorũ, & nominatim interdictorum, ac manifestos vsurarios.* Tertia, contra Religiosos appropriantes sibi decimas non debitas, & fraude, vel dolo aliorũ. Ecclesiis debitas, soluere non permittentes.* Quarta, in Monachos, & Canonicos & Regulares administrationẽ nõ habẽtes

qui ad curias principum se conferunt, vt suis Prælatis, vel Monasteriis damnum inferant, vbi etiam excommunicantur Monachi intra septa monasterii arma tenentes sine superioris licentia. *Quinta. Contra illos, qui impediunt visitatores monialium in iis, quæ pertinent ad visitationis officiũ, nisi moniti desistant. *Sexta, Contra fœminas statum Beghinarum assumentes, vel assumptum sectantes. *Septima. Ligat eos qui scienter in gradibus affinitatis, & consanguinitatis iure prohibitis, aut, cum monialibus contrahunt matrimonium, & Religiosos professos, ac clericos idem matrimonium contrahẽtes. *Octaua Contra Inquisitores, & Episcopi cõmissarios in crimine hæresis, qui sede vacante prætextu sui officii inquisitionis, illicitè pecuniam vel aliquid pecunia æstimabile extorquẽt aut bona Ec-

clesiæ ob delictum clericorũ, prędicti officii occasione etiam fisco Ecclesiæ applicant. * Nona est in Officiales, ferẽtes, vel non rescindẽtes statuta de vsuris soluendis. *Decima. Cõtra Religiosos mẽdicãtes, qui sine Papæ licẽtia loca de nouo accipiunt ad habitandum, vel habita commutant, aut quouis titulo alienant. Est etiam contra concionatores, & Religiosos, qui decimarum solutionem aliquo modo impediũt. * Vndecima In Religiosos cuiuscunq; ordinis, qui interdictum auctoritate Sedis Apost. impositum, seu in ordinariorum Ecclesia Cathedrali obseruatum, non obseruant.

De excõmunicationibus nõ reseruatis in extrauag. Cap. 40.

FVlminatur *Prima, cõtra impediẽtes Nuntios, & Legatos Summi Põtificis, ne ingrediãtur regna, prouincias, & terras, ad

quæ ipsi sunt destinati. Sed hæc est etiam nunc temporis in Bulla CœnæDomini.*Secunda,est contra illos, qui extra casus in iure concessos, alienant bona immobilia, vel mobilia, pretiosa Ecclesiarum: vel vltra tres annos locant aut alio contractu concedunt: sed hæc à paucis videtur recepta. *Tertia. Contra impugnantes litteras Papę nondum coronati.

De excõmunicationibus in Concil. Tridentino positis.

Cap. 41.

PRima habetur sess. 4. contra imprimentes, vel imprimi mandantes libros de rebus sacris sine auctoris nomine, & ordinarii approbatione, ac proprii superioris recognitione. Ligat etiam eosdem libros apud se retinentes, ac præterea diuulgantes manuscriptos, sine eorundem li-

centia, & approbatione, extenditur rursus per Concil. Later. ad non sacros si imprimantur sine Inquisitoris Diœcesani probatione: hæc tamen excommunicatio nemini reseruatur.*Secũda, renouat, & corroborat illam supra positam. Sixti 4. de immaculatæ Mariç Virg. conceptione, & reseruatur Papę.*Tertia, contra docentes, vel pertinaciter asseuerantes, seu defendentes non esse necessariam sacramentalem confessionem ante sacram communionem iis, qui peccati mortalis culpa tenentur, non tamen est reseruata.*Quarta, contra Clericos, & laicos quacunque dignitate fulgentes, qui alicuius Ecclesiæ iurisdictiones, bona, census, iura feudalia, & emphiteotica: fructus & emolumenta, ac quæcunque alia bona etiam beneficii sæcularis in vsus pauperum destinata in proprios conuertunt, & hæc est

Papæ reſeruata.* Quinta nemini reſeruata, in raptores mulierum & eis conſilium, auxilium, & fauorem præſtantes.*Sexta,quę nemini etiam reſeruatur, claudit impedientes ſubditos, ne libere matrimonia contrahant,aut contra propriam libertatem contrahere cogunt.*Septima, cõtra Magiſtratus ſeculares,qui non prębẽt auxilium inuocatum ab Epiſcopis ad conſeruandam monialium clauſuram.*Octaua,contra ingredientes ſepta monaſterii monialium ſine licentia Epiſcopi vel ſuperioris, in ſcriptis obtenta: non eſt reſeruata,Conc. Trid. Seſſ. 24. c. 5.*Nona eſt contra Clericos, Religioſos, & Laicos quoſcunque virginem vel viduam monaſterium ingredi cogentes, vel ad ſuſcipiendum habitum aut profitendum. Ligat etiam ad hoc conſilium, auxilium, vel fauorem præbentes, & impedientes eaſ-

dem, quę veli accipiendi, vel voti emittendi voluntatem habẽt quę Excommunicatio non etiam est reseruata. *Decima, Contra Duellorum iniquum vsum, Sess. 25. c. 19 de refor. vbi sex personarum genera excommunicantur.* Primò. Imperatores, Reges, & Principes omnes in suis terris duella permittentes. * Secundò, pugnantes. *Tertiò: patrini: * Quartò, consilium præbentes. *Quintò, suadentes. * Sextò, spectatores ex industria: Hi verò omnes vltra excõmunicationis maledictionẽ, perpetuæ infamiæ pœnã, atque omniũ bonorũ proscriptionẽ incurrũt Excõmunicatio tamen hæc non est reseruata. Notat verò hic Toletus, licet ex Concil. Trid. Sess. 24. cap. 6. Episcopi possint per se, vel suos Vicarios absoluere à quibuscunque casibus quibus annexa est censura, quando crimen est occultum, & verò etiam à crimi-

ne hæresis (nisi quod ab hoc non possit per vicarium, sed tantum per se ipse.) Hoc tamen priuilegium iam reuocatum esse quoad casus bullæ, per eandem bullam: & sic à casibus in illa contentis non posse absoluere etiamsi occulti sint, atque ideò nec ab hæresi occulta.

Quid suspensio, de eius speciebus, & causis. Cap. 42. 43. & 44.

SVspẽsio est * Ecclesiastica cẽsura priuans vsu Ecclesiastici officij, vel beneficij. Cuius tres sunt species: quædam enim est ab ordinis, vel iurisdictionis officio: quædam à beneficio ecclesiastico, quodcunque sit illud: quædam ab officio, & beneficio simul, & singulæ his priuant aut ex parte, aut toto, & vel in perpetuum, vel ad tempus. Preterea sus-

Pensio est duplex, à iure, vel ab homine. Suspensus ab ordine simpliciter, est ab omni ordine suspensus, atque adeo à Iurisdictione spirituali in eo fundata; & suspensus simpliciter ab officio, suspenditur ab ordine & iurisdictione, sed suspensus à beneficio, non est suspensus ab officio, puta ordine & iurisdictione; & è contra regulariter ab officio suspensus, non suspenditur à beneficio. Quando verò simpliciter ponitur suspensio, intelligitur maior, & tunc suspensio est ab omnibus: suspensus ab ingressu Ecclesiæ, priuatur potestate exercendi ordinem in Ecclesia, & audiendi diuina, suspensus ab administratione Ecclesiæ vel beneficii, non propterea est ab ordine suspensus.

Quatuor sunt suspensionis causæ: efficiens, vt superior, & quicunque potest excommunicare.

Materialis remota est persona Ecclesiastica: proxima vero peccatũ & frequẽtius mortale. Forma certa non habetur, sufficiet tamen si dicatur, suspendo te ab officio, vel beneficio. Finis est Clericorum correctio, & animarum salus.

De effectibus, & absolutione suspensionis. Cap. 45. & 46.

PLures sunt suspensionis effectus.* Primò nãque trãsgressores præcepti suspẽsionis vt plurimum mortiferè delinquũt. *Secundò fiunt irregulares, quãdo non verentur ea, quæ sunt ordinis suspensi exercere. Secus vero si tãtum recipiant. * Tertiò priuantur communione eorum in quo suspenduntur ita vt peccent communicando cum aliis in eo actu & vice versa cæteri cum illis, vt qui recipit sacramenta à suspenso à collatione sacramentorum. *Quartò,

Ab officio ſuſpenſus non poteſt eligere, nec eligi ad beneficiū, nec excommunicare nec conferre beneficium, poteſt tamen qui ſuſpēſus eſt à beneficio, ſed non poteſt recipere fructus beneficii niſi ad modicam ſuſtentationē, ſi ſit pauper & ſit ſuſpenſus ob delictum na mob contumaciam, etiam modica illa priuatur. Iam vero ſi ſuſpenſio ſit tantum ad certum tempus, tollitur etiam ſine abſolutione, tempore illo expleto: Sin minus ſi ſit iuris, tollitur à Papa, ſi ſit illi reſeruata, alias enim poteſt ab Epiſcopo tolli, ſicuti poteſt etiam eam tollere quæ ab eo profecta eſt, niſi lata ſit ob tale delictum ſuper quod non poſſit ipſe. Epiſcopus diſpenſare. Abſolutio ab illa, non habet formæ determinata verba, ſed communiter ſic datur. Abſoluo te à ſuſpenſione, quam incurriſti, & reſtituo te priſtinæ executioni ordinis, vel be-

neficii, in nomine patris, & filii, & Spir. San. Amé. Differt ab excõmunicatione, quia excõmunicatio nõ tollitur nisi per absolutioné: suspẽsio, aliquãdo sine absolutione. Excõmunicatio tantũ propter cõtumaciã fertur suspensio quãdoque in pœnã delicti sine contumacia. Excõmunicatio quælibet maior, prohibet sacramẽtorũ susceptioné & ministrationé, hoc verò prohibet tantũ illa suspensio quæ est ab administratione Sacrament, vel collatione seu officio ac ordine. Illam contrahunt etiam Episcopi, hanc non incurrunt, nisi de ipsis specialis mentio fiat.

De Suspensione Concubinarii notorii, & aliis suspensionibus, quæ magis sunt in vsu.

Cap. 47. & 48.

PRima sit hęc, Omnis clericus siue Sacerdos, siue Diaconus, vel Subdiaconus concubi-

narius

narius, vel fornicarius notorius, est ab officio, & beneficio ipso iure suspensus, vt Abbas, Panor. docet, vnde si talis ordinis actũ exerceat, est irregularis, vide Conc. Trid. sess. 25. cap. 14. Secunda est, Episcopus Italus, qui Clericũ Vltramontanum, sine Papæ licentia, & litteris sui Episcopi ordinat, est ipso iure suspensus, & non absoluitur nisi à Papa. *Tertia. Qui scienter vel ignorãtia affectata, Clericum alienum sine proprii Episcopi, vel sui superioris licentia ordinat, à collatione ordinum per annum suspenditur. * Quarta. Cõferens primam Tonsuram infanti, vel illiterato, aut alienæ Diœcesis, sine licentia proprii superioris, à primę Tonsuræ collatione per annum est ipso iure suspensus. *Quinta. Suspendũtur præsumentes ordinem sacrum extra tempola, vel ante legitimam ętatem sine licentia recipere, & à solo Pa-

pa dispensantur. *Sexta. Ordinãs, vel præsentans aliquem ad ordinem si ab eo exigant iuramẽtum, aut pactum non inquietandi, vel petendi victum ab Episcopo, & qui ita ordinatur sunt suspensi: ordinans videl. ab ordinum collatione, & præsentans ab executione, & ordinatus ab ordine susceptο in perpetuum, & solus Papa potest dispensare. * Septima. Clerici scienter eligentes ad Episcopatum, vel dignitatem aliam, seu ad animarum curã indignum, quoad ætatem, mores, scientiam, legitimitatem, si sequatur electio per triennium sunt à beneficio, quod habent in Ecclesia ad quam fuit facta electio suspensio. *Octaua. Iudex excommunicans, vel suspendens, vel interdicens aliquem sine scripto, & causa scripta, per mensem ab introitu Ecclesiæ, & diuinis officiis suspenditur. * Nona. Promulgantes ex-

communicationis sententiam sine admonitione, & personis idoneis præsentibus, per mensem ab introitu Ecclesiæ suspenduntur.

*Decima. Capitula, Conuentus, & singulares personæ, quæ Prælato mortuo, bona ipsius aut quę in Ecclesiæ vtilitatem erant conuertenda, aut futuro successori seruanda, surripiunt, vel consumunt, suspensi sunt donec restituant.

Vndecima. Episcopi, Abbates, & Prælati omnes, qui idem faciunt sine priuilegio, & consuetudine, suspenduntur ab ingressu Ecclesiæ donec restituant. Duodecima. Iudex ecclesiasticus ordinarius, vel delegatus, qui contra cõscientiam, vel iustitiam in grauamen alterius partis, aliquid in iudicio per gratiam, vel per sordes fecit, suspenditur per annum ab officii executione ita vt si ãtea se ingerat fiat irregularis. *Decimatertia. Archiepiscopi, vel episcopi, qui vi-

stant Ecclesiàs, & vltra procurationem suam, pecuniam, vel aliud quoduis munus, etiam spontè oblatum recipiunt, duplum intra mensem restituant, & vltra differentes, sint ab introitu Ecclesiæ interdicti, illis vero inferiores sunt ab officio, & beneficio suspensi. *Decima quarta: est cõtra Mendicantes admittentes ad professionem, aliquem ante completum probationis annũ.* Decima quinta. Suspenditur Iudex conseruator ab officio suo per annum, si se immisceat in iis, quæ ad eius officium non pertinent.* Decima sexta, Episcopi, & cæteri superiores, qui amoris, lucri, vel odii gratia contra hæresis crimen non procedunt, aut ipsum crimen alicui imponunt, ab officio per triennium sunt suspẽsi.* Decima septima. Suspenditur ab officio quilibet Religiosus præsidens monasterio, qui sua iura, redditus, vel

possessiones eiusdem ad vitam, vel ad certum tempus quouis titulo sine necessitate, & Ecclesię vtilitate alicui concedit: Non suspenditur si ad modicum tempus eadem locet, vt in Clement. 1. de rebus Ecclesiast.*Decima octaua. Clerici qui partita, vel colorata veste vtuntur sine rationabili causa suspenduntur: Clerici quidem beneficiati per sex menses à beneficio Ecclesiastico obtinendo reliqui per annum non tamen suspenditur si doctoratus gratia, vel timoris causa, vt cum per terras inimicorum est iter faciendũ.*Decima nona. Per simoniæ realis labem ordinem conferentes, aut recipientes, siue occulti, siue manifesti sint, ab executione ordinum perpetuo suspenduntur.

De Suspensionibus Concilii Trident. Cap. 49.

PRimo suspensionis pœna in Episcopos fertur, qui in alterius Diœcesi cuiusuis priuilegii prætextu pontificalia exercẽt sine ordinarii loci expressa licentia, aut cum ipsa licentia eadem pontificalia in non subditos eiusdem exercent, ab exercitio enim pontificalium ipso iure sunt suspensi, & ordinati ab ordinum executione.* Secunda. Capitulum. sede vacante, infra annũ à die vacationis, licentiam alicui ordinandi, aut litteras dimissorias cõcedẽs, nisi recepturus arctatus sit ratione beneficii recepti, vel recipiendi, ecclesiastico subiacet interdicto, ordinati verò in minoribus clericali priuantur priuilegio, in maioribus autem ipso iure suspensi sunt ad beneplacitũ futuri prælati.

*Tertia. Episcopus Titularius etiã in loco nullius Diœcesis, aut exẽpto, quouis prætextu alterius subditum ad ordines promouens, ab officio pontificalium, per annum, & promoti ab ordinum executione ipso iure sunt suspensi donec prælato suo visum fuerit. *Quarta episcopus ordinans non subditum prętextu cuiusuis priuilegii sine testimonio sui ordinarii, à collatione ordinum ipso iure est suspensus per annum, & ordinatus à susceptorumordinum maiorum, vel minorum exercitatione, quandiu proprio ordinario videbitur. *Quinta. Abbates quantumnis exempti ipso iure ab officio & beneficio, per annum sunt suspensi, si litteras dimissorias clericis secularibus conferant, vt ab aliis ordinentur, hoc n. ad illorum pertinet ordinarium, etiam si tales clerici ipsorum Abbatum fuerint subditi. *Sexta. Quicunque sa-

cerdos alterius parochi spōsos benedicere, sine eius licentia ausus fuerit, ipso iure est suspensus donec absoluatur ab ordinario parochi qui interesse debebat. * Septima. Præfecta, seu Abbatissa Monasterii, Episcopum certiorem facere tenetur per mensem ante professionem alicuius faciendam, alioquin ab officio erit suspensa, quandiu Episcopo visum fuerit. *Octaua. Episcopi concubinarii postquam à synodo moniti, non se emendauerint, ipso facto sunt suspensi.

De Degradatione, & Depositione. Cap. 5.

DEgradatio est* susceptiordinis perpetua depositio. Ecclesia nāque cū Ordinis characterē semel impressum auferre non possit, vsum eius legitimum

in perpetuũ auffert: & hoc est degradare. Veruntamen est, quod nõ auffert omnem vsum simpliciter, quia etiã sacerdos degradatus potest cõsecrare, & Episcopus degradatus ordinare, quãuis grauissimè peccét. Cũ vero degradatio priuet omni licito vsu officii, atque adeo officio quo ad vsum, priuat etiam beneficio, quia ordini nititur. Horas tamé canonicas recitare huiusmodi degradati iure tenétur. Duæ sunt degradationis species, verbalis, & actualis. Discrepãt in multis, nam actualiter degradatus perdit vtrũque priuilegium clericale, canonis, & fori, ita vt sit sub iudice seculari, & percutiens ipsum non incurrit excommunicationem.

*Secundo Concilium Tr. mutauit ius antiquum, & decreuit, quod depositio verbalis clerici, & Sacerdotis, fiat per Episcopum, vel eius vicarium generalem, actualis autem per ipsum Episcopum,

& episcoporum loco (si Episcopi haberi non possunt) conuocentur Abbates vsum Mitrę, & Baculi ex priuilegio habentes, aut personę Ecclesiasticæ in dignitate constitutę, ætate graues, & iuris scientia commẽdabiles.* Tertio Actualiter degradatus tradendus est curiæ seculari, non autem si verbaliter tantum, dummodo sit corrigibilis.*Quartò. Quia degradatio verbalis potest fieri contra contumacem absentem: actualis requirit semper præsentem. * Quintò. Vbi fit mentio simpliciter de degradatione, intelligitur verbalis, non actualis. * Sextò. Verbaliter degradatus potest per Episcopum restitui, actualiter verò tantũ per Pontificem maximum. Promotus per saltum ipso iure est suspensus, tamen ordo maior tenet, minori non suscepto, non enim est necessarium necessitate sacramenti, sed pręcepti, ordinem in ordinibus

seruare. Sed qui maiorem ordinem ita suscepit, non potest in eo ministrare non suscepto inferiore, & ad vtrumque requiritur dispensatio quam potest dare Episcopus si non ministrauerit in ordine ita suscepto : nam secus non potest nisi delictum esset occultum Trid. sess. 24. cap. 6.

De Interdicto, & eius speciebus.

Cap. 51.

INterdictũ est Ecclesiastica cẽsura sacramentorũ vsũ, diuina officia, & sepulturam ecclesiasticã, secundũ se ipsam, prohibens. Sacramenta nãque, diuina officia, & sepultura tripliciter considerari queunt,* primo quatenus ad fidelium communionem pertinẽt. *Secũdo, Vt sũt actus alicuius ordinis, vel officii.* Tertio. Secundũ se ipsa, hoc est, quatenus sunt Ecclesiæ bona.*Primo modo illis pri

uamur per excõmunicationis ſententiã: Secundo. Per ſuſpenſioné. *Tertio. Per Interdictum. Interdictum autem triplex eſt, locale, perſonale, & miſtum quando interdicitur tam locus quam perſona, interdicitur enim aliquando locus & non perſona. Interdicta autem ciuitate tantum, ciues non interdicti ad aliam ciuitatem, progredi poſſunt, & ibi bonis ſpiritualibus frui: quæ priori in ciuitate interdicta erant. Perſonale interdictum aliud eſt generale quãdo omnes perſonæ alicuius loci aliud particulare quando aliquæ tantum interdicuntur.

De cauſis Interdicti, effectibus, & Abſolutione Cap. 52. 53 54 & 55.

ILle poteſt interdictum ponere, qui poteſt excommunicare. Interdici poteſt perſona,

& locus, sed propter peccatum grauissimum quale est inobedientia, & contumacia contra Ecclesiam, non tamen necessarium est, quod tale peccatum in omnibus locum habeat, nam quando plures interdicuntur, in iis inuoluuntur etiam innocentes, sine culpa interdicentis. Plures sunt Interdicti effectus, vbi enim est Interdictum, nec Missa, nec diuina officia publicè celebrantur, non pulsantur campanæ, pro officio, neque organa, licet tamen prædicare: neque licet ministrare Eucharistiam nisi tempore mortis, quo tamen non licet extremam Vnctionem. Sacramentũ vero pœnitentiæ omni tempore. Cæterum dictum est publicè quia secreto ianuis clausis celebrare, & diuinas persoluere laudes, nunquam non licet, ad quæ tamen admittendi non sunt, qui Interdicti causam dederunt, vel carent

priuilegio,& contrafacientes peccant mortaliter. Bonifacius VIII. indulsit quod eadem officia tempore Interdicti publicè etiam celebrarentur in solemnitatibus Natalis Domini, Resur. Pentecost. Corporis Christi, & Assumptionis Beatæ Mar. Virg. Sacerdos vero violãs locum interdictum publicè exercẽdo actum maioris ordinis quem non potest, grauiter peccat & est irregularis, quam tamen irregularitatem non incurrit si exerceat tãtum actum minoris ordinis. Persona interdicta priuatur sacramẽto ordinis & extremæ Vnctionis, Eucharistiã tamẽ tempore mortis recipere potest, non potest pœnitentiam quando dedit causam interdicti nisi parata sit obedire, matrimoniũ tamẽ illi non prohibent. Priuatur sepultura Ecclesiastica & diuinis officiis, quibus si sciens se immisceat peccat mortaliter cum tamen secularis

violans locũ interdictum peccet tantum venialiter. Sunt aliqui casus in quibus ipso iure incurritur interdictum sed nunc ferè nullus tenetur illud seruare nisi post denunciationem. Absoluit ab interdicto qui tulit si est ab homine nã si est à iure & reseruatũ est alicui, ille ab eo absoluit cui reseruatum est, vel superior. Quod si non est reseruatũ, cessante causa ob quod latũ est, potest tolli ab ordinario, secus à solo Papa.

De Cessatione à diuinis Cap. 56.

HÆc cessatio non reperitur in iure, sed tantum ab homine superiore imponi permittitur propter aliquod graue peccatum, vti est quod cõmittitur contra Ecclesiæ immunitatẽ. Tempore Cessationis, nulli, ac nullibi sacrũ celebrare licet nisi secreto semel in hebdomada, sicut tẽpore Interdicti fiebat ante Bonifaciũ

Octauum. Vnde Cessatio à diuinis nil est aliud, quàm speciale Interdicti genus, non est tamen censura, sed tantum quędam obmissio diuinorum officiorum, quare nec propter illius violationem incurritur irregularitas.

De Irregularitate quid sit, & quotuplex. Cap. 57.

IRregularitas est *canonica inhabilitas ordines susciendi, aut susceptos exercendi à solo iure proueniés. Si irregularitas est ante ordinũ susceptionẽ, hominẽ ineptum reddit ad susciendũ, si vero post, reddit inhabilem, ad eorum exercitium. Dicitur inhabilitas canonica, respectu illius, quæ est de iure diuino vt in infideli, & fœmina, ex S. Bonauent. & Dur. quarto dist. 25. Irregularitas duplex, vna ex defectu, altera ex delicto, prior ablato defectu sæpe tollitur, at posterior manet, etiam

ablato

ablato delicto, nisi dispensetur. Quæ ex delicto est, prohibet promotionem nondum acceptorum ordinum, & in susceptis administrationem, at quæ ex defectu est, non semper in susceptis prohibet ministrare. Concil. Trid. dat Episcopis dispensandi facultatem in omnibus irregularitatibus ex occulto delicto prouenientibus non autem in cæteris. Illud tamen sciendum non contrahi aliquam harum irregularitatum, nisi quando iure exprimitur: Etsi vero in dubio iuris, iudex non debet aliquem irregularem decernere, potest tamen in dubio facti quantum ad ea quę ad salutem animæ spectant vt est celebrare &c. quo modo in simili dubio debet etiam quilibet in foro conscientiæ se ipsum irregularem existimare. Sed neuter si pœna tantũ imminet gratis fori cotentiosi, vt priuationis beneficiorum obtentorum.

De variis Irregularitatis generibus. Cap. 58. 59. 60. 61. 62. 63. & 64.

PRima est ex defectu natalium quam illi contrahunt, qui ex fornicatione, adulterio, stupro, sacrilegio, aut alio quouis illicito concubitu occulto, vel publico, sunt nati. hi nãque omnes ad ordines promoueri nequeunt, nisi per subsequens matrimonium legitimentur, aut Episcopus in minoribus dispenset, vel Papa in maioribus, aut per Religionis ingressum cũ eis dispensetur. Altera est ex defectu originis, quam contrahunt serui ex matre serua, qui nunquam in libertatem venerunt si autem Domino eorum permittente, aut non contradicente, ordinentur, statim fiunt liberi quod si contradixerit aut ignorauerit, ordinans id prudens & sciens fecerit tenebitur reddere duplum

domino, sin vero ordinatus solus eius rei conscius fuerit debebit satisfacere domino, quod si noluerit debebit deponi & in seruitutem reuocari. *Tertia. Vocatur ex defectu liberationis, quia impediuntur curiales, iudices, aduocati, procuratores, tutores, notarii, ac cæteri ministri, qui publicis negotiis tenentur: hi namque nisi onere deposito, ad ordines promoueri nequeunt: exceptis tamen personæ miserabili obligatis, aut Ecclesiasticæ, nã hi ordinari possunt etiamsi onus non deponant. *Quarta ex defectu legitimæ ætatis, ita vt ante septennium prima Tonsura, ante 12. annum, minores ordines, & acolitatus duodecimo tantum expleto sub Diaconatus, ante 22. Diaconatus ante 23. Presbyteratus ante 25. inceptũ, nemini dentur. Ante hæc enim tempora promotos solus Papa dispensat, & episcopus promouens

à collatione ordinum est ipso iure suspendendus. Presbyteratus,& Episcopatus si ante vsum rationis de facto infantidentur,imprimunt characterem,& sic ordinati tenentur castitatis votum seruare, si ad annos pubertatis ducti non recantent. * Quinta est ex defectu honestæ famæ,seu ex infamia iuris, vel facti nota, quæ ab ordinum promotione procul explodunt, nisi vel talis infamia per se ipsa tollatur contrariis factis, vt est infamia facti, vel ex dispensatione Papæ, aut Episcopi vt in infamia iuris orta ex crimine in quo Episcopus potest dispensare. * Sexta ex defectu corporis, qua nondum promoti à promotione, & promoti ab ordinum ad quos sunt inhabiles exercitio prohibentur, quales sunt, qui aliquo membro carent, vel abundant, vt pigmæi, gibbosi, claudi baculo indigentes, cæci, & qui cum ocularibus litteras, &

verba non discernunt, qui sunt tremulis manibus & prorsus abstemii. Hermaphroditi ad fœmineum sexum magis accedentes, illi qui propria culpa, vel manibus se castrauerunt, etiam castitatis zelo: non autem si per medicos sanitatis necessitate id fecerint. Item qui aliquod membrum impeditum habent vel notabilem deformitatẽ, de qua, Episcopi munus erit iudicare, Papæ verò dispẽsare.* Septima ex defectu animæ, vt Dæmoniaci, insani, lunatici, & morbo caduco affecti, qui quidem si ante promoti non fuerint, nec post liberationem ad ordines sunt promouendi, promoti verò, & omnino liberati, data probatione per annum, rursus ministrare poterunt si autem morbo caduco laborans raro cadat, & sine vocis confusæ emissione, ac spumæ iactatione, poterit cum sacerdote coadiutore celebrare. Sunt etiam

hue reducendi Neophiti, qui nuper ad fidem venerunt :& illiterati, ac penitus ignari , qui omnes irregulares habentur, & in his irregularitatibus dispensat Papa solus.

De Irregularitate ex defectu sacramẽti,& Bigamia. Cap. 65.66 67.&68.

Bigamia est nuptiarum multiplicatio,&est triplex, vera, interpretatiua, & similitudinaria. Vera dicitur cum quis successiue plures, & legitimas duxit vxores,& cum eis habuit copulã, sine vnam ante Baptismum, & alteram post duxerit. Interpretatiua est duplex, vna quæ simpliciter dicitur , cum ex parte viri non fuerunt plures nuptiæ, sed duxit viduam ab alio corruptam, aut propriam post adulterium ab ea admissum & vel attentauit plu-

res nuptias. Altera ex iuris fictione, cum nempè non est verum matrimonium, sed ius fingit illud esse: vt cum quis bis contraxit, semel validè, & semel inualidè: vt si laicus secũdas celebret nuptias, prima, & legitima viuente vxore, vel quando habens votum solemne castitatis de facto contraxit, etiam cum virgine, & consummauit: quæ bigamia dicitur similitudinaria seu ficta, quia primo cum Deo spiritualiter, deinde cum homine corporaliter contraxit. Omnis autem irregularitas ex bigamia, siue cum peccato, siue sine peccato sit, ex defectu sacramenti seu significationis illius censetur; nam matrimonium est signum vnionis Christi cum Ecclesia, quæ est vnius cum vna: Bigamia verò cum pluribus. Papa potest dispensare cum quolibet bigamo ad omnes ordines, & dignitates, quia Bigamia est de iure positiuo: Epi-

ſcopus autem, non poteſt cum Bigamo vero, neque cum interpretatiuo ad maiores ordines diſpenſare, vt eas ſuſcipiat, vel in ſuſceptis miniſtret ſed neque ad primam Tonſuram, poteſt autem cum bigamo ficto poſt longam pœnitentiam, & vitam laudabilem, prius vxore dimiſſa: vt ſi ſacerdos vel Diaconus aut religioſus profeſſus, vxorem duxiſſet nã vxore dimiſſa poſt longam pœnitentiam Epiſcopus diſpenſare poterit vt in ordinibus ſuſceptis miniſtrent & ad alios promoueãtur.

De Irregularitate ex delicto hæreſis Baptiſmi & ordinis. Cap. 69.70.71.72.73.& 74.

OMnes hæretici in hæreſim exterius lapſi, & in ea mortui, & eorũ fautores, credentes, defenſores, & horũ filii etiam illegitimi, & nepotes ex linea

paterna, irregulares habentur, & in hac irregularitate dispensat solus Papa. Item qui scienter bis aut plures Baptismi sacramentum susceperunt, aut alteri contulerunt, si hoc est notorium, aut suscipiunt ab hæreticis in ætate adulta, vel vsque ad ægritudinem in adulta ætate Baptismum ipsum distulerunt, irregulares censentur.

Excommunicatus in maiori, aliquem ordinem etiam minorem suscipiens, efficitur irregularis, nec excusatur nisi ignorantia facti probabilis. Solus Papa dispensat in publica, in ea autem quæ ex delicto prouenit occulto, etiam Episcopi post Concil. Trid. dispensare possunt. Est etiam irregularis qui ordines ab Episcopo qui renuntiauit Episcopatui, & dignitati: vel à non habente conferendi auctoritatem, vel ab Episcopo excommunicato, & qui vno die minores cum subdiaconatu sus-

cepit. Ordines ministrando potest quis multipliciter fieri irregularis, vt si exerceat solemniter ordinem non susceptum, vt si non subdiaconus epistolam cum Manipulo cantet: Qui solemniter baptizat, qui confessiones audit, vel missam celebrat, cum sacerdos non sit inquit Toletus: ordinatus similiter, & in ma. excommunicatus qui ordines, vel ordinum actus exercet, etiam minorum: quamuis possit horas Can. recitare vt laicus sine Dominus vobiscum. Item suspensus ma. suspensione ab officio, in eisdem ministrans, non ita suspensus à beneficio, tantum. Rursus Regulares professi, qui extra claustra egrediuntur ad audiendas leges, vel medicinam, aut Physicam nisi intra duos menses fuerint reuersi: & extenditur etiam ad Archidiaconos, Plebanos, præpositos, & Presbyteros, idem facientes si hoc sit

notorium denique peccata enormia, & notoria notorietate facti aut iuris inducunt irregularitatem qualia sunt homicidiũ adulteriũ, falsum testimonium, simonia, peccatum nefandum.

De Irregularitate ex homicidio, & mutilatione. Cap. 75. 76. 77. & 78.

IRregularitas ex homicidio iniusto, dicitur irregularitas ex delicto, quæ vero ex homicidio iusto, dicitur irregularitas ex defectu sacramenti, quatenus qui tale admisit exẽpla Domini & Dei sui nõ imitatur, qui fuit minister pacis, dilectionis, vnionis, & viuificationis: & ob horroris indecẽtiam, quam homicidium, & mutilatio præ se ferre videntur, ab ordinum ministerio optimo iure arcetur. Cæterum qui mutilant,

& membrum principale à corpore viuo realiter ſeparant, quale eſt manus, pes, oculus, naſus, mamilla, & auricula, quæ omnia in corpore diſtinctum habent officium, irregulares ſunt & dicũtur. Digitus autem non eſt membrum principale, quare digitum abſcindens, non eſt irregularis. Homicidium triplex, aliud voluntarium, aliud ob ſui neceſſariã defenſionem, & caſu perpetratum. Verum tum homicidium, tum mutilatio rationis vſum ſupponit, quãobrem infantes, furioſi, dormientes, vel noctu ſomniantes, ebrii ſi id præcauerint, ſi fortè occidant, irregulares eſſe nequeunt, cum nec proprie ab eis mutilatio, aut homicidium fieri dicatur.

De Irregularitate ex homicidio voluntario, & facti neceſſitate. Cap. 79. & 80.

HOmicidium voluntarium eſt duplex, iuſtum, & iniuſtum. Ad iuſtitiam homicidii quatuor requirũtur, legitima poteſtas, iuſta cauſa, iuſtus ordo, & iuſtus animus. Iniuſtum homicidium erit, ſi vnum horum deficiat. Vtroque autem contrahitur irregularitas, ſed ex homicidio iniuſto dicitur irregularitas ex delicto: ex iuſto vero irregularitas ex defectu: quã nonnulli ad Bigamiam reducũt. Homicidium ex neceſſitate eſt, quãdo non ſpõtè ſed ob neceſſariam defenſionem committitur. Hęc autem defenſio triplex eſt, vitæ propriæ, vitę proximi, & bonorũ propriorum temporalium. Propriæ vitæ defenſio adhuc duplex, ineuitabilis, cũ mi mirũ aliter vita defendi nõ poteſt, & euitabilis, cũ homo poteſt aliter ſe tueri. Homicidiũ cõmiſſum ob primã ſui defenſionẽ non inducit irregularitatem, ſed illud tantum,

quod ob secundam committitur. Occidens, vel mutilans ob defensionē ineuitabilem vitæ proximi non peccat, sed efficitur irregularis ex defectu. si verò non seruauit moderamen, irregularitati addidit peccatum. Ob solam bonorū temporalium defensionem ecclesiasticis personis non licet occidere, nec laicis si res ablata erat parui momenti, aut aliter res poterat recuperari, quod si non aliter, licitè laici occident, sed erunt irregulares ex defectu. Religiosi autem ita propria bona defendendo, peccarent, & essent irregulares.

De Irregularitate ex homicidio casuali. Cap. 81. & 82.

QVi operam dat rei illicitiæ, qua deinde secuta est mors, siue per se, siue per alium, etiam si sit præter eius intentionem, & nullam prætermiserit

diligẽtiam, eſt irregularis ex delicto, quare ludens inhoneſtè cum prægnãte, ex quo ſequitur abortus: & dormiens in lecto cum infante, oprimit infantem, vterque irregularis eſt. Qui verò dat operam rei licitæ, & non adhibita plena diligentia ſequitur mors, eſt irregularis, vt conſtat de purgante tecta, & lapides inde proiiciente cum hominis occiſione.* Tertia regula eſt hęc. Quando aliquis dat operam rei licitæ, & debitam adhibet diligentiam, non eſt irregularis, vnde laicus cum clerico ludens, ſi clericus in terram proiiciatur, & laicus clerici gladio vulneretur, & occidatur, clericus non efficitur irregularis quia caſus fuit omninò fortuitus, ex iis ſatis liquet, quod in homicidio caſuali, vbi non eſt culpa, nulla eſt irregularitas, quia talis actus nihil habet de voluntario. Verum omnis actio illicita, quæ eſt immediata cauſa

homicidii, irregularitatem inducit, vt constat de cędente ramum de arbore aliena, ex quo secuta est alicuius mors · tunc enim arborem cædēs fit irregularis. Quando verò ipsa hominis actio non est immediata causa homicidii, sed remota, & non periculosa, nō inducit irregularitatem : vt si quis iocosum verbum diceret, ex quo homicidium sequeretur, talis iocosus non diceretur irregularis.

De Irregularitate ex homicidio lingua commisso. Cap. 83. 84. & 85.

SI non contigit homicidium de facto, nunquam solius linguæ homicidium irregularitatem inducit. At si de facto homicidiū fiat, tunc linguę homicidium, cōsulendo, mandando, & defendēdo, potest esse voluntarium, aut

necessarium, aut casuale, & quandoque inducit irregularitatem, sed non semper eandem cum homicidio facti: vt si iudex mandet occidi reum zelo iustitiæ, & minister occidat nimore vindictæ, ille fit irregularis ex defectu, iste ex delicto. Legum autem Conditores qui reis mortis pœnã statuunt. Prælati etiam iurisdictionem habentes, qui ministris suis præcipiunt cõtra malos iustitiam exerceri, non sunt irregulares, nec qui mandauit aliquid licitum, ex quo mors, quæ non videbatur timenda, est secuta, nec qui sine fictione mandatum ante factum reuocauit, nec cum mandatarius propria, non a. mãdantis auctoritate, aut post statutũ tẽpus occidit: alias mãdans esset irregularis, & quãdoque est mandatario non existẽte irregulari vt si filius aggressus, non propria voluntate, sed patris mandato impulsus, aggressorem

occidit. Aliquando mandans est irregularis ex defectu, vt iudex iustus: aliquando ex delicto, vt si iniustus, vel iniustè mandauerit quempiam occidi. Consulens pariter aliquid, vnde verisimiliter mors sequi videatur, si re ipsa sequatur efficitur irregularis, vt & mandans. Consiliarii verò Principum & legislatores qui condunt leges in quibus statuitur pœna capitis in fontes, etsi fuerint clerici non incurrunt, nec qui consulunt vt quis pro fide Christi & Ecclesiæ defensione exponat se periculo mortis, nec clerici, & Religiosi, qui in bello iusto milites ad mortem hortantur inimicorum, nec qui ob sui necessariam defensionem clamant contra latrones, vel milites conuocant, & amicos: secus verò si solum in defensionem suarum rerum & ipsi intendant mortem illorum.

De Irregularitate ex defensione, ratihabitione, & omissione
Cap. 86. 87. & 88.

CONtrahitur etiam ratione homicidii voluntarii & casualis irregularitas ex defensione, & aliquando quidem ex defectu, interdum vero ex delicto, vt de mandante, & cõsilium præbente est dictum. Ex defensione sunt irregulares ministri iustitiæ, vt Fiscalis, Aduocatus, Notarius, Testes, qui litteras scribunt, officiales, accusatores, qui si opem ferant in homicidio iusto, erunt irregulares ex defectu, si in iniusto, ex delicto. Licet tamen ex priuilegio personis ecclesiasticis querelam apud iudices deponere pro sui, rerumque suarum defensione contra malefactores, etiam in pœna mortis imponenda, dummodo ante protestentur se non

intendere vindictam, vel sanguinis pœnam, & verè non intendãt: nam si verbis tãtum protestentur, & animo sanguinis vindictam cupiant, erunt irregulares, inquit Toletus. Irregularitatem pariter contrahunt, qui iustitiæ zelo ad comburendum hæreticum ligna ferunt, si ad mortem cooperentur, similiter & qui campana signum indicant occisionis, qui verbis, & signis manifestant latronem vt capiatur. Item socii eorum qui occidunt iniustè, etiamsi manibus nil cooperati fuerint, modo tamen eos comitentur vt animosiores reddant ad cædem. Per rati habitionem autem non contrahitur irregularitas. Ex omissione verò, qui non tenentur liberare aliquem à morte, nec peccant nec contrahunt Irregularitatem si omittant, secus verò quando omissio liberationis à morte habet vim consensus, & auxilii

nam qui tunc liberare omittit est irregularis. Idem dicendum si sit talis omissio contra institiam, vt in Medico, qui stipendio ad medicandum ægrum ducitur, & medicamentum non præbet moriéti. Si verò sit tantum contra charitatem, etiamsi homicidium imputetur ad peccatum, non contrahitur irregularitas, vt si diuites pauperibus peremptibus non subueniant: Vnde, & qui nouit aliquem alicui mortem parare, si nō reuelat, quamuis verè occidentem sciat, non incurrit irregularitatem.

De Dispensatione irregularitatis ex homicidio. Cap. 89.

IRregularitas ex homicidio voluntario, non est de iure diuino, sed humano: tollitur verò omnis per baptismum, & Papa in ea dispensat ad ordines, & benefi-

cium nō ita Episcopus, ne quidem in ea quæ contracta est ex homicidio occulto, modò sit voluntarium, alias enim potest, vt si factum sit ad defensionem sui, licet non cum moderamine inculpatæ tutelæ, eademque est ratio de quacunque alia Irregularitate contracta ex occulto delicto, modò non sit homicidium voluntarium. Cæterùm ante sententiam nullus homicida perdit beneficium iam obtentum, nisi homicidiū illud sit qualificatum, sed est eo priuādus. In Irregularitate casualis homicidii, Episcopus potest dispensare si tale homicidium est occultum, secus non potest.

De modis quibus omnis irregularitas tollitur Cap. 89.

PEr Baptismum tollitur omnis Irregularitas præter bigamiā

& quę ex defectibus corporis cõsurgit. Per Religionis ingressum tollitur illa, quæ ex illegitimatione nascitur quo ad ordines, non quo ad dignitates, sine noua Papæ dispensatione. Papa omnem irregularitatem, & in omni (infideli & fœmina exceptis) auferre potest. Episcopi in omnibus irregularitatibus dispensant, quę sunt ex delicto occulto, præter eas, quę sunt ex homicidio voluntario, & ad forum contentiosum deductæ, vt Concil. Trid. Sess. 24. cap. 6. Quam tamen concessionem Episcopis per Concil. factam, non habent Abbates, nec Prælati Religionum, ex Congreg. Concil. nec Cardinales in suis titulis, vt declarauit Greg. XIII. nam quamuis Episcopalem hi iurisdictionem habeant, Episcopi tamen non sunt. In Iubileis datur absoluendi facultas ab omni delicto, & censura, sed non ab irregularitate,

quia sic habet praxis Romanę curiæ, prętęrquam quod irregularitas vltra absolutionem indiget etiam dispensatione, quæ tunc non datur.

De Iurisdictione. Cap. 90.

IVrisdictionis defectu simplices Sacerdotes sine culpa administrare non possunt Sacramenta, & à peccatis absoluentes, inualida est eorum sacramentalis absolutio exceptis his casibus, mortis nempe periculo, vel si sit tantùm venialium vel mortalium alias dimissorum, aut certè papali gaudeant priuilegio. Cætera si ab ipsis exerceantur, valida quidem sunt, sed peccant, vt in solemniter baptizando, vel alia Sacramenta ministrando, modo quo non potest laicus.

De peccato mortali. Cap. 92.

PEccatum mortale non impedit absolutè sacramentorũ administrationem, sed rectũ eorum vsum: vnde qui mortali culpa grauantur Sacramenta ministrantes peccant mortaliter, inter quos sunt etiam recensendi Subdiaconi, & Diaconi ordines sacros solemniter ministrantes. Per gratiæ namque sacramentum quis ordinatus est Dei minister, & ideo in suo officio talem se tenetur exhibere, qualis per ordinationem est effectus. Concionator autem si in mortali, reuerenter accedat, & absit contemptus, non peccat mortaliter, concionando, quia hic non est actus de se ordini deputatus.

Quando, & quomodo liceat à malis ministris sacramenta recipere. Cap. 93.

A Miniſtris ab Eccleſia non toleratis, quales ſunt hæretici, & nominatim excommunicati, ac publici clericorũ percuſſores niſi in articulo mortis, nullum ſacram. (Baptiſmo excepto) recipere licet. A toleratis verò etiam excommunicatis, modò nõ, nominatim, nec ſint publici percuſſores clerici, ſi expoſiti fuerint licebit recipere, quamuis illi peccent miniſtrando: ſunt enim ſicut fax accenſa, quæ alios illuminans, ſe ipſam deſtruit. A malis, quibus ex officio incumbit, non modo recipere, ſed & petere licet, quia nullius malitia debet alterius iuri derogare. Sed non ab iis qui non tenentur ex officio & non ſunt expoſiti, ſaltem extra neceſſitatem.

De qualitatę ordinatorũ. C. 94.

QVinque potiſſimum ſunt quæ in ordinatis requirũtur; Charitas, Religio, San-

ctitas, Scientia, & Prudentia. *Charitas requiritur, quia ordinati sunt medii inter Deum & populũ, ad hoc electi vt Deum pro cæteris orent. *Religio, quia cultui sacro sunt addicti, Sanctitas, quia de ipsis scriptum est; Sancti erunt Deo suo, & non polluent nomen eius: incensum enim Domini, & panes Dei sui offerunt, Leuitici cap. 22. Scientia, vt in minoribus ordinibus constituti, exactè legere, & pronunciare sciant, & aliquo modo latinè intelligant. Subdiaconi & Diaconi intelligant quæ latinè legunt, licet mysteria ipsa non ita calleant: Sacerdotes aliqualem scripturæ sacræ intelligentiam habeant: Curatus totam doctrinam Christianã, peccata quæ ordinariè committuntur, casus reseruatos & censuras probè sciat. *Prudentia demum, quia est forma aliarum virtutum, & omnia dirigit in debitum finem.

Finis primi Libri.

LIBER SECVNDVS.

De tribus Sacerdotis officiis in particulari.

De dispositione ante celebrationem. Cap. I.

DEBITAE dispositionis partes, quæ ante celebrationem desiderantur, pulchrè hoc carmine describuntur.

Ieiuna, recita, expecta, tua crimina pande.

Primò dicitur * Ieiuna nã Sacerdos ad altare accedere non debet nisi ieiunus à media nocte, naturali ieiunio. * Recita, quia ante celebrationem saltem matutinas horas recitasse tenetur, nisi rationabili causa cõtrarium agere fuerit coactus. * Expecta, Non omni tempore celebrare licet, & hora, sed ab Aurora vsque ad meridiem duntaxat; potest tamen ex causa rationabili aliquo paruo tempore celebrari post meridiem. * Tua crimina pande, Sacerdos namque lethalis culpæ conscius ante missam confessionis sacramento se probare debet, nisi per accidens non possit, vel quia deest cui confitearur, vel sine scandalo, vt si iam sit in altari in quo venit illi in mẽtem peccati lethalis. Concil. Trident. Sess. 13. can. 7. & 11. Interdum vero nec ipsa confessio sufficit, nam quando paruo tempore peccatum præcessit, consul-

tius est eodem die non celebrare, alias peccatur saltem venialiter.

De dispositione in ipsa celebratione. Cap. 2.

IN ipsa celebratione quatuor sunt obseruanda, quæ hoc carmine clarè monita cernere licet.

Apta, locus, vestis, tibi sint altare, minister.

* Apta, & commoda omnia in ipsa celebratione esse debent, sed inter hæc locus ille aptus habetur, qui est per Episcopum consecratus, si tamen esset necessitas & non posset adiri Episcopus, vt in itinere quando festo die sacrũ est audiendum, vel communicandus aliquis in mortis articulo posset celebrari in non consecrato, etsi quia iam rarò consecratur locus, satis sit benedictio. Præterea debet abesse sanguinis effusionis periculum, vt in mari, nec debet esse

pollutus seminis, vel sanguinis humani effusione nota, nec excommunicatorum sepultura. Vestis etiam sacerdotalis non sordida, aut dilacerata, sed integra, munda, ac per Episcopum, vel Abbatem benedicta esse debet. Vestes sacerdotales sunt sex, quæ sacratissimæ passionis Domini nostri Iesu Christi mysteria perbellè repræsentant, vt ibi Toletus, & nos in Speculo ecclesiastico parte 1. c. 3. lingua vernacula clarè explicuimus. In altari ad celebrandum præparato plura requirũtur: Ara lapidea integra, & consecrata, Mappa, Corporalia, Vas, Liber, & Candela, ita vt celebrare sine libro vel vna saltem candela sit mortale, quãuis necesse non sit vt cãdela sit cerea. Vas est calix cum patena consecrata, aurea, vel argentea, aut saltem ex stanno. Minister idoneus est vir non fœmina, & vnus iam ex consuetudine sufficit.

De dispositione post consecrationem. Cap. 3.

POst celebrationé etiam plura desiderantur notatu digna, quæ hoc versu continentur.

Sacrifica vna luce semel, nisi causa requirat.

Quamuis nonnulli doctores sacerdoti permittant sine culpa per totam vitam non celebrare, ego tamen verius arbitror, quod non legitimè impeditus, ter, aut quater in anno festis solemnibus celebrare teneatur, vti docet Sanctus Thom. 3. 82. 10. Siquidem, & non celebrans suspenditur, capi. dolentes, de celebratione miss. Curatus verò tenetur celebrare iis diebus quibus populus obligatur ad sacrum audiendum, sed nemo tenetur quotidie celebrare ne quidem ratione Capellæ, nisi id possit salua reuerentia & honestate.

*Vna luce semel, id est, vna die semel celebrandum vni, pluries enim celebrare vna & eadem die non licet, nisi his quinque casibus. *Primo in Natali Domini, ad quod tamen nemo obligatur, sicut neque ad audienda plura sacra eodem die. Secundò, si propter tenuissimum redditum, quis habeat duas parochias, & die festo in vtraque sit celebrandum. * Tertiò, Quando in festo ex præcepto sanctificando, post missam peregrini adueniunt. * Quartò. Si post missam superueniat Episcopus, nec adsit alius Sacerdos. * Quintò. Si pro infirmo communicando deficiat sacramentum.

Quid sit Missa. Cap. 4.

MISSA hebræorũ idiomate, dicitur Missach, Latine Oblatio, vnde in Psal. 140 Vbi vulgata nostra latina editio

habet eleuatio manuum mearum sacrificium vespertinum, hebraicè habetur, Missach cappai, quæ Diuus Hieronym. vertit oblatio manuum mearum : quare & re ipsa Missa nihil aliud est quam * oblatio Corporis & sanguinis D. N. Iesu Christi, sub speciebus panis, & vini facta, & sacrificii ab ipso semel exhibiti expressiua.

De partibus Missæ. Cap. 5.

MIssa in tres diuiditur partes. Prima ab introitu vsque ad Offertorium. Secunda. Ab Offertorio inclusiuè, vsque ad Postcommunionem exclusiuè. Tertia A Postcõmunione ad finẽ vsq;. In prima per epistolã, & Euãgelium populus instruitur. In secunda præparantur, & offeruntur consecranda. In tertia, per orationem fit gratiarũ actio. Cor-

pus & sanguis Domini sub speciebus panis & vini contenta, sunt sacrificium & sacramentum : Sacrificium quidem quatenus Deo patri offeruntur, in consecratione & sumptione à sacerdote. Sacramentum autem dicuntur quatenus sub illis speciebus corpus, & sanguis Christi cõtinétur, vnde quoad post missam in pixide asseruatur, sacramentum est, & non sacrificium.

De valore missæ ratione sacrificii. Cap. 6.

EX Missæ sacrificio duplex valor consurgit, alter ex actu offerẽtis, qui dicitur ex opere operantis, alter ex ipsa oblata: prior ex maiore charitas feruore augetur, posterior semper idẽ est. & est finiti gradus, nam etsi res oblata sit de se infinita, offerens, & oblatio, ex quibus valor attenditur, sunt finita. Iste autem valor

tria nobis confert bona. per modum meriti de congruo, bona temporalia per modum meriti de cõdigno ratione rei oblatę, gratiæ augmentum. per modum satisfactionis, pœnæ remissionẽ. Per modum vero impetrationis, prodest, cũ ad alia bona, tum pro mortuis.

De iis quibus hoc sacrificium prodest. Cap. 7.

PRodest offerentibus, & pro quibus offertur, offerentes sunt in triplici differẽtia, immediati, vt Sacerdotes: Remoti, vt populus Christianus. Medii, vt qui aliquo actu ad celebrandũ cõcurrũt & hi sunt ministri, sacerdotem alentes, ecclesiam ei præbentes, qi interssunt sacro, &c. offerentium autem & in gratia existentiũ quilibet in suo meretur gradu, & propinquiores magis Immediati, &

medii aliquam peccatis pœnę debitæ remissionem, & gratiæ augmentum : Remoti autem tantum pœnę remissionem. Ex maiori offerentium numero non minuitur alicui valor, nam sacrificium se habet ad singulos, ac si pro se singuli illud offerrent.

De resolutione triũ dubiorũ circa Missæ Valorem. Cap. 8.

REsoluitur* primũ si dicatur quod respectu sacrificii ex opere operato, & orationum oblatarum ab ipso Sacerdote in persona publica Ecclesiæ, valor missæ boni, & mali Sacerdotis idem est quod ad alios : nam malus semper sibi nocet. Respectu vero orationũ, quas malus Sacerdos, vt persona particularis offert eæ nulli prosũt, ideò vt sic minus etiã valet Missa mali Sacerdotis quam

boni.* Secundũ. Missa de Requiem ex parte orationis magis, prodest defunctis quam alia de festo. Ex parte verò sacrificii idem valet de Requiem, & de festo.* Tertiũ soluitur dubiũ, si dicatur, quod Missa pro multis oblata, nec quo ad pœnæ satisfactionem, nec quo ad gratiæ augmentum quod datur ex opere operato, ita singulis prodest, ac si vni tantum applicaretur, nam hic gradus gratiæ, & satisfactionis in hoc sacrificio est finitus. Quare Sacerdos plurium eleemosynas pro multis missis dicendis, recipiens, non potest vnica tantum satisfacere, & extra necessitatem aliter faciens peccat mortaliter, & est restitutioni obnoxius.

De remediis circa pericula accidentia in Missa adhibendis.

Cap. 9.

PRimo quãdo Sacerdos morte, vel graui infirmitate ante consecrationem impẽditur ne sacrificium absoluat, non est per alium Sacerdotem perficiendum: si autem post consecrationem, alius supplere debet, modò sit in gratia, etiamsi ieiunus non sit. Si verò Sacerdos ille esset concubinarius vel in peccato mort. non teneretur quidem ad hoc, nisi esset graue scandalum ex sacrificio imperfecto, quo euentu deberet confiteri si posset, sin minus cõteri, & absoluere sacrũ. Vbi autem maneret imperfectum, deberet sacramentũ in sacrariũ deferri, & in crastinum conseruari. Si in Missa Sacerdos recordetur alicuius peccati mortalis, cui non sit annexa excommunicatio aut irregularitas conteratur & pergat, sin verò tali peccato illa essent annexa vel ipse non esset ieiunus, si id fiat ante consecrationem discedat si

possit cura graue scandalum: sin vero post consecratione n, absoluat, nam inde nec excommunicationem nec irregularitatem contrahet modo culpa sua non fuerit obitus. Si in Calicem venenosum, ante consecrationem incidat, debet nouum vinum apponi, & aliud proiici, si post consecrationé, conseruandum in sacrario donec species corrumpantur, & infundatur postmodum in piscinam. Sin turpe aliquid ac horrorem generás debet extrahi & lauari, & lotio post sanguinem sumi, res autem ipsa comburi & cineres in sacro loco seruari. Si Sacerdos in altari recordetur ante consecrationem, se aquam non apposuisse, apponat: si vero recordetur post cõsecrationem, aquam relinquat, & persequatur sacrificium, sin autem deprehendat id quod infudit non fuisse vinum, apponat de nouo, quia necessarium & tunc con-

fecret, & ſumat.

Si per negligentiam cadat ſanguinis gutta in mappam ſorbeat & lauet, & lotio ſeruetur in loco ſacro: ſi in tabulam, lambat, & radat deinde tabulam: ſi in terrã, ipſam ſimiliter radat, coburat, & cineres ſeruet in loco ſacro. Si hoſtia ſacra è manu ſacerdotis in calicem cadat, & nulla poſſit fieri fractio propter humiditatem, relinquat, & ſacrum continuet, quia huiuſmodi non ſunt de eſſentia ſacrificii. At ſi Eccleſia corruat, vel inimici aduenian ſacerdotem occidere volentes, ante conſecrationem fugere poterit, ſi autem poſt, ſumat, & deglutiat, vel ſecum in corporalibus deferat, non enim tenetur ſubire mortem, niſi tales inuaſores in fidei contemptum id facerent.

Quid sit diuinum officium. Cap. 10.

AD sacerdotem sacrificium offerre, & diuinum officium recitare iure spectat. Diuinum autem officium est *laus Dei voce expressa per Ecclesiæ institutionem determinata; Dicitur hora canonica, à tempore in quo hæc laus habenda est, quia canones certa tempora statuerunt, & horas, quibus determinatæ laudes sunt Deo exsoluendæ, & ob id ipsa Dei laus hora dicta est canonica. Dicitur etiam debere fieri voce quia ad hoc genus officii non satis est Deum laudare mente, sed vox articulata necessaria est, ita vt secus, non satisfiat præcepto.

De numero horarum Canonicarum. Cap 11.

HOræ Canonicæ, quę diuinum dicuntur officiũ, septenario numero constant: Matutina videlicet, Prima, Tertia, Sexta, Nona, Vespera, & Completorium, Septem enim sunt hominis ætates, quibus omnibus laudãdus est Dominus. Infantia, Pueritia, Adolescentia, Iuuentus, Virilitas, Senectus, & Decrepita ætas. Septem similiter sunt sancti spiritus dona. Septem mundi ætates, & septem horæ, quibus tota Christi passio complera est, & harum horarum mysterio prædictæ horæ Canonicæ ab Ecclesia sunt institutæ, vti his carminibus docemur.

Matutina ligat Christum, qui crimina purgat,
Prima replet sputis, dat causam Tertia mortis,
Sexta cruci nectit, latus eius Nona bipertit,
Vespera deponit, tumulo completa reponit.

De iis qui horas Canonicas persoluere tenentur. Cap. 12.

CLerici beneficiati, etiam si Primam Tonsuram, tantum habeant, horas has Canonicas, recitare tenentur. Præterea qui in maioribus Ord. sunt constituti, vt Subdiaconi, & Diaconi etiam si beneficio careant, ad has horas tenentur, ita vt peccét mortaliter in singularum horarum omissione. Monachi, & Religiosi, ac etiam Moniales, quę professionis votum emiserunt, eodem onere grauantur, & eas omittentes, peccant mort. Beneficiati vero vltra peccatum mortale, post sex menses, pro rata tertiæ partis reddituũ, ad restitutionem tenentur, quæ faciendá est Ecclesiis aut pauperibus vel Canonicis si in Canonicatu degãt, quod debet intelligi saltem respectu distributionu

Ad nullam tamen restitutionem tenentur, si verè recitauerint etiam si id fecerint sine vlla attentione, & eadem est ratio aliorum redditũ qui sumuntur ex communi aliqua massa quæ erat inter reliquos canonicos diuidenda.

De Circũstantiis in Diuino Officio obseruandis. Cap. 13.

CIrcumstantiæ in horis Canon. persoluendis sex sunt. Numerus, Ordo, Qualitas, Tempus, Locus & Modus, Clerici maioribus ordinibus insigniti, & Religiosi professi singulis diebus septem horas Canon. persoluere tenentur, ita vt si vnam integram vel eius partem notabilem omittant, peccent mortaliter. Presbyteri iuxta Episcopatus sui ritum, & Monachi iuxta illud sui Ordinis recitare debent, alias peccant

mortaliter, si alienum sine causa rationabili sequatur. Qui recitant Breuiarium Romanum, nec ad preces Beatę Virginis, nec ad officium Defunctorum obligantur nisi in choro & in die defunctorum. Tempus cuilibet horę proprium est à media nocte, videlicet antecedentis diei, vsque ad aliam sequentis. Hora matutina potest persolui etiam post occasum antecedentis diei. Modus est vt attentè, reuertenter, & deuotè dicatur. Attentio Triplex: circa verba, vt nempe singula distinctè pronuntientur: & actualis, vel saltem virtualis est necessaria. Alia est circa verborum sensum. Tertia circa orandi finem. Dum missę quis interest deuotas vnà ibi preces recitare poterit, & etiam horas canonicas, cum ad eundem ordinentur finem, & præceptum audiendi Missam non cogat Missæ verbis intendere, sed tã-

tum sacrificio interesse. Etsi ordo horarum non sit in præcepto extra chorum, illam tamen peruertere veniale est, atque idem est de tempore, nisi ex causa vtrũque fiat.

De causis excusantibus ab officio persoluendo. Cap. 14.

SEx sunt causæ excusantes, Infirmitas grauis: qua durante nemo tenetur loco horarum aliud dicere. Occupatio alterius negotii magni ponderis, vt cõcio, vel lectio publica, vel infirmi cura. Breuiarii inculpabilis defectus. Papæ dispensatio. Beneficium tenuissimum non excedens redditum octo ducatorum, ex soto & aliis: probabilius tamen est etiam tunc teneri cum nullus Canon eũ excuset. Defectus fructus beneficii, qui post adhibitam debitam diligentiam, nec per se, nec per alium percipi possunt, nec

vlla est spes eos percipiendi, ex quo sequitur eum qui eam habet solum titulum, si redditus beneficii alteri à Papa conceduntur ad nihil teneri.

Quid sit sacramentum. Cap. 15.

SAcramentum est * signum sensibile, spiritualis animæ sanctificationis, ad cultum veri Dei à Christo Domino institutũ. Sacramentum est signum rememoratiuum, demonstratiuum, & prognosticum: est rememoratiuũ passionis Domini, effectiuè nos sanctificantis. Demonstratiuum, gratiæ nos formaliter iustificantis & prognosticum gloriæ, ac futuræ beatitudinis nos finaliter sanctificantis.

De iis quæ in Sacramentis sunt necessaria. Cap. 16.

QVatuor sunt de Sacramenti necessitate : Materia, vt aqua in Baptismo . forma, vt verba hæc Ego te baptizo in nomine Patris & Filii & Spiritus sancti: Intentio ministri, quæ esse debet conferendi ipsum sacramentũ, & faciendi, quod facit Ecclesia, aut Ecclesiæ minister : & sufficit virtualis, id est quod eo animo ad sacramentum conferendum accedat. Vltimo etiam intentio suscipientis requiritur , si adultus sit, nam in paruulis supplet Ecclesia. Ad hæc sequitur sacramentorum effectus, qui est duplex, communis vt gratia, & particularis , vt character , qui est spiritualis potestas quæ imprimitur in intellectu indelebiliter, ita vt in mortuis etiam permaneat : vnde si quis mortuorum baptizatus resurgeret, non esset iterum baptizandus. Vterque confertur ex opere operato, hoc est ex vi sacramenti, & tria tantum

sacramenta characterē imprimūt, scilic. Baptismus, ad recipienda sacramenta, ordo ad cōferenda, Cōfirmatio ad fortiter agēdū pro fide

De numero, & suffisientia sacramentorum. Cap. 17.

Ecclesię orthodoxæ sacramēta sunt septem: Baptismus, Confirmatio, Eucharistia, Pœnitentia, Extrema vnctio. Ordo sacer, & Matrimonium. Quorum sufficientia sumitur ex similitudine ad perfectionem vitæ corporalis. Homo namque in se primo perficitur in vita corporali per generationem, qua recipit esse. secundò, per augmentum, Tertio per nutritionem qua conseruatur. Quarto per medicinam post infirmitatem. Quinto post acquisitam sanitatem cum reliquias infirmitatis per abstinentiam expel

lit: Deinde in ordine ad alios per dignitatem, qua alios gubernat: secundo per Matrimonium quo Rempublicam conseruat. sic pariter homo in vita spirituali primò nascitur per Baptismum. Dehinc per confirmationem roboratur. Per Eucharistiam nutritur. Per pœnitentiam à peccatis sanatur. Per extremam vnctionem reliquias peccatorum expellit. Quo ad alios per ordinem perficitur, quo potestatem habet aliis sacramenta administrandi: per Matrimonium omnium hominũ multitudo conseruatur, ex quorum congregatione Ecclesia consistit.

De Materia remota, & propinqua Baptismi, Cap. 18.

BAptismus est* Ablutio corporis exterius facta sub præscripta formaverborũ, vnde mat.

remota illius est aqua: propinqua ipsa ablutio. Aqua debet esse elementaris, vnde in vino, cerusia, lacte, herbarum liquoribus, sputo, & sudore, vrina, nineque, non potest fieri Baptismus. Potest in lixiuio, carnium brodio, seu piscium, quando nõ est tanta mistio, quod aquæ substantiam amittat, extra necessitatem debet esse in aqua pura, benedicta. & chrismate eiusdem anni. Ablutio potest fieri per effusionem, aspersionem, & immersionem, vnicam, vel ternam iuxta propriç Ecclesiæ ritum. Debet etiam esse actus ad ablutionem ordinatus, vnde qui puerum in profundum flumen demittit, vt baptizetur, si suffocetur, non baptizat, sed occidit, & est irregularis, sufficit tamen aspersio in necessitate, & fieri debet supra caput si possibile sit.

De forma Baptismi. Cap. 19.

VNica est baptismi forma, sed triplex eam exprimendi modus, quorum primus est Græcorum dicentium: Baptizetur seruus Christi talis, (exprimendo nomen eius) in nomine Patris, & Filii, & Spiritus sancti, Amen. Secundus est Latinorum: Ego te baptizo, in nomine Patris, & Filii, & Spiritus sancti. Tertius est sub dubio: Vt si es baptizatus non te baptizo sed si non es baptizatus, ego te baptizo in nomine Patris, & Filii, & Spiritus sancti, Amen. Est vero obseruandum in omni forma, vt simul forma sit moraliter cum materia seu vt moraliter eodem tempore proferatur, quo materia applicatur, nec vllo modo varietur, quia omnis variatio sine necessitate est peccatum, & si sit circa substantialia tollitur baptismi

veritas,& ex consequenti eius effectus, vt si quis omittat te, vel non explicet clarè personas Trinitatis. Mutationes autem quæ in genere possunt in formis sacramétorum contingere, & vitari debét, sex sunt his versibus comprehésæ.

Nil formæ demas, nil ponas, nil variabis.
Transmutare caue, corrumpere, verba morari.

De Baptismi Ministro. Cap. 20.

DVplex est Baptismi minister vnus ex officio, alter ex necessitate: ex officio est solus Sacerdos curatus, adeò quod extra necessitatem, quilibet à parocho baptizans, peccet, & si laicus sit, fit irregularis si solemniter baptizet. Minister necessitatis est duplex. Alter ex speciali Dei ordinatione, vt angelus interdum:

Alter ordinarius, vt omnis homo, cuiuſuis ſtatus, ſexus, & conditionis, rationis capax, etiam Iudæus, Paganus & Hæreticus, ſi debita intentione baptizet, nempe ex intentione faciendi quod facit Ecclesia, vel vt baptizandus petit qui tali intentione petit, debet autem qui inferior eſt ſemper cedere ſuperiori, vt fœmina viro, laicus clerico, idque per ſe loquendo.

An omnes ſint baptizandi.

Cap. 21.

A Promulgato Euangelio omnes ad Baptiſmũ ſuſcipiendum tenẽtur ſine quo nemini ſalutis adſtus patere poteſt Ioh. Cap. 3. Pueri tamen infidelium non ſunt inuitis parentibus baptizandi niſi ipſimet filii id vellent, ſi tamen baptizarentur, teneret Baptiſmus, & vtroque euẽtu eſſent ſubtrahẽdi à cura parentum. In adulto requiritur triplex diſpo

sitio, propria intentio, fides, & peccatorum dolor, intentio saltē virtualis, est necessaria ad veram susceptionem sacramēti: fides, & dolor ad susceptionē gratię sacramēti

De effectibus, & Baptismi speciebus. Cap. 22.

QVatuor sunt Baptismi effectus, *Primus est gratiæ infusio, qua remittūrur peccata. * Secundus est Remissio totius pœnæ peccatis debitæ. * Tertius character. *Quartus irregularitatis ablatio, prętęr Bigamiā, Baptismus est triplex. Aquę, sanguinis, & flaminis. Differunt, quia Baptismus aquæ imprimit characterem, non autem alii duo. Baptismus aquæ, & sanguinis, totam delent pœnam peccatis debitam. nō autē illud flaminis, qui quidem adultorum est duntaxat, fluminis

& sanguinis etiam paruulorum, quare si puer in ventre matris in odiũ fidei occidatur, est martyr.

De solemnitatibus Baptismi. Cap. 23.

SOlẽnitates Baptismi sine quibus nemo extra necessitatem baptizari debet, & si prætermissæ sint debent postea suppleri, sunt in duplici differẽtia, quædam antecedunt Baptismum, aliæ subsequuntur. Antecedentes sunt tres Catechismus, quo Baptizandus circa fidem instruitur. Exorcismus quo malignus spiritus, insufflando abiuratur, & vnctio olei sancti quę ad exorcismum refertur. Post Baptismum sunt tres cæremoniæ : Prima signatio sinciputis chrismate. * Secunda Vestis Candida : Tertia candela accensa. Sunt etiam, & patrini ad summum

duo, vir, & fœmina, quamuis alter horũ tantum, sufficiat, vt monet Concil. Trid. sessione. 24. Cap. 2.

De Sacramento Confirmationis. Cap. 24.

BAptismi sacramẽtum sequitur, illud Confirmationis, quod cętera præcedit. Huius materia est Chrisma ex oleo oliuarum, & balsamo confectum (sine quo sacramentum imperfectũ esse videtur) consecratum ab Episcopo consecrato. Forma sunt illa verba, Consigno te signo crucis, & confirmo te Chrismate salutis, in nomine Patris, & Filii, & spiritus sancti, Amen. Minister huius sacramenti ordinarius est Episcopus: dispensationis simplex sacerdos, debet verò Chrisma quo constat esse eiusdem anni, subiectum ęiusdem sunt. Viri, &

fœminæ vsum rationis habentes, baptizati, sine pec. mortali, & ieiuni sal. & ex decétia. Eiusdem sacramenti effectus tres sunt. Character scilicet, gratia, & affinitas Inter confirmatum & patrinum. Necessarium non est necessitate salutis: illud tamen omittere peccatũ est.

De Materia Sacramenti Eucharistiæ. Cap. 25.

MAteria huius sacramenti duplex est, panis scil. azimus purus, ex frumento, & aqua elementari confectus, in Ecclesia Latina, nam Græci etiam in fermentato ritè consecrant. & vinum ex vuis, non agresta, neque acetum, & cum vino adhibendum est paululum aquæ, quamuis sine ea, valida sit consecratio. Vtraque materia debet esse certa, & determinata in intentione consecrãtis, & sacerdoti præsens, saltem præ

sentia moralis. Hæc tamen duplex materia vnicum tantum constituit Sacramentum, sicut vnus in eo Christus continetur, vnaque refectio spiritualis, & vnius Ecclesiæ vnitas præfiguratur.

De forma Consecrationis corporis, & sanguinis, & Sacramẽti efficacia. C. 26.27.

FOrma similiter duplex, panis, & vini: panis est: Hoc est corpus meum, peccaret tamen qui prętermitteret particulã (enim. Sanguinis: Hic est calix sanguinis mei, noui & æterni testamenti mysterium fidei, qui pro vobis, & pro multis effundetur in remissionem peccatorum Quæ verba essi sint omnia de necessitate præcepti, non tamen de necessitate Sacramenti. Huius Sacramenti efficacia non in applicatione mate-

riæ consistit, vt in aliis sacramentis, sed in materiæ consecratione, quæ fit virtute verborum: verbis enim illis prolatis: Hoc est corpus meum, nulla panis remanet substantia, sed accidentia sola, quantitas scilicet cum colore, sapore, & odore, & primis qualitatibus, quæ dicuntur species panis, sub quibus est verum Christi corpus præsens, vt fides docet, simul cum anima & diuinitate.

De Ministro, & suscipiente. Cap 28.

DVo sunt huius sacramenti ministri, sacerdos quilibet respectu consecrationis, & sacerdos cui id ex officio incũbit, vel commissione, respectu collationis. suscipiẽtes sunt pariter duo vnus suscipiens & consecrans, vt sacerdos celebrans, alter suscipiens tantum, vt sacerdos cum sacrum

non celebrat, & laicus quando communicat. Quando enim sacerdos celebrat, sacramentum hoc sub vtraque specie sumere debet, alias sub sola specie panis, vti & laicus, qui adhoc 4. conditiones habere debet. * Primò namque oportet, quod adultus sit, nã infantibus, & pueris infra 12. annum dari non debet. * secundò debet esse rationis capax, non demens, vel phrẽneticus. * Tertiò, sit ieiunus oportẽt, nisi mortis periculum immineat infirmo. * Quartò necessaria est confessio actualis in mortali existenti, contritio namque cum proposito confitendi nõ sufficit nisi in necessitate, vt supra Capitulo primo est dictum. Peccatum autem veniale etsi non impediat effectum gratiæ habitualis, obstat tamen feruori charitatis. Meretrices verò publicę, vsurarii, histriones, concubinarii notorii à communione procul arcend'

sunt, nisi post pœnitentiam.

De modis suscipiendi hoc Sacramentum, & defectibus, ac nominib. C. 29. & 30.

QVatuor sunt sacramentum Eucharistiæ suscipiẽdi modi. *Primus in figura, qué, ad modũ prisci illi patres veteris testamenti. *secundus spiritualiter tantum, vt qui desiderio & voto. *Tertius sacramentaliter tantum, vt cum quis imparatus species sacramentales suscipit. * Quartus, sacramentaliter, & spiritualiter simul, vti sacramentum dignè suscipientes. Effectus quatuor, *primus effectus est, gratiæ infusio cũ virtutibus & donis, qua quidem gratia interdum remittitur p. m. vt in confesso qui tamen nec dum sua culpa, vel quouis alio defectu recepit gratiam, melius verò postea disponitur, vel in eo, qui vr-

gente necessitate attritus, communicauit, putans se contritum.* Secundus est spiritualis refectio. *Tertius præseruatio à peccatis. Quartus est, fomitis extinctio seu repressio. Nomina similiter quatuor huic sunt Sacramento, primum Eucharist. id est bona gratia, continet enim Christum omnis gratiæ auctorem: Dicitur & sacrificium, quatenus continet eundem Christum, qui per mortem se obtulit hostiam patri pro peccatis. Viaticum tertio appellatur, quia ipso mediante infirmi perueniunt ad montem Oreb. id est vitam æternam. Communio demum, seu synaxis, quia est Sacramentum vnionis, in quo Christiani vniuntur. Vocatur etiam sanctissimum sacramentum *per excellentiam quandam, quam habet inter cætera sacramenta.

LIBER TERTIVS.

De Pœnitentiæ Sacramento, & eius partibus in speciali.

Quid sit Peccatum.

Caput I.

QVinque de Pœnitentiæ Sacramento tractãtur: Materia Forma, Minister, Pœ-

nitens, & Effectus. Materia illius remota sunt Peccata. Peccatũ vero * est recessus, à regula diuina volũtarius. Recessus, quia peccatũ est deuiatio quædã. Per diuinam verò regulã quodlibet præceptũ intelligi debet, scil. supernaturale, vt de fide habẽda & Sacramẽtis. Naturale, quod omnia Decalogi Præcepta cõprehẽdit, Humanũ quale est, quod lege humana, vel superiorũ obseruantia nobis est præceptũ, & ad Dominũ ordinatur.* (Volũtarius) tria importat: primũ vt à voluntate procedat, & imperetur: *Secundũ quod sit ex deliberatione ac in nostra potestate, nempe vt liberum dicatur, non ex necessitate, vel vehementi passionis impulsu. Tertium vt homo sciat se agere contra talem regulã: si enim ignorantia inuincibili laboret, excusatur à peccato.

De peccatorũ differẽtia. Cap. 2

Diuiditur primò peccatum in mortale, & veniale, mortale est contra regulã prædictam, vt homicidiũ: Veniale est prẽter regulam: vt quando etsi quis non faciat planè contra prẽceptum, facit tamẽ quod in Deum non est ordinatũ, vt mendaciũ iocosũ. Mortale ex genere, dupliciter fit veniale, ex leuitate materię, & ex imperfectione actus voluntarii: Veniale fit quoque mortale quãdo in eo ponitur vltimus finis, vel ad mortale ordinatur, vel si sit causa peccati mortalis, vel fiat ex conscientia erronea, qua quis putat mortale quod est veniale. Vtrũque peccatum bipartitur in peccatũ omissionis & cõmissionis, & in peccatum cordis, oris, & operis quod tamẽ est idẽ peccatũ sed variis constans gradibus augmenti.

De partibus essentialibus peccatorũ, & effectibus eorũdẽ. Cap. 3.

IN peccato sunt duo, vnum tãquam materia, actus seu operatio, alterum tãquam forma, & est recessus ipse à regula diuina in quo recessu, seu carentia rectitudinis, præcipuè quando peccatum est mortale duo considerantur, auersio à Deo & conuersio ad creaturam, effectus similiter duo, macula, quæ est priuatio gratiæ, & reatus, qui est obligatio ad pœnam æternam, & hæc est duplex damni, & sensus. Mortale est materia necessaria confessionis. s. Th. 3. 84. 2. Veniale verò non necessaria, sed sufficiens. Trid. sess. 14. c. 5.

Quid Contritio, & Attritio.

Cap. 4.

MAteria propinqua sacramenti pœnitentiæ sunt Contritio, Confessio, & satisfactio seu peccatũ ipsum quatenus iis subiicitur partibus. Con-

tritio est * præteriti peccati : vt est Dei offensa : voluntaria super omnia detestatio , cũ proposito futura super omnia vitãdi, & commissa confitendi. Hæc detestatio in generali sufficiet, dummodo diuino nitatur auxilio , non viribus propriis humanis , si desit aliqua pars prædictæ definitionis, nõ erit contritio , sed attritio : vt si quis detestetur peccatum nõ vt est Dei offensa, sed quia animæ pœna , & supplicij, vel si nõ detestetur super omne detestabile, vel firmum non habeat omnia futura vitandi propositum saltem virtuale. Inter cõtritionem , & Attritionem hoc distat, quod cõtritio per se , & sacramenti voto deleat peccatũ mortale & causet gratiam, quod quidem attritio ex se efficere nõ potest, sed tantũ vt coniungitur sacramento quod tamen adhuc non omni attritioni, sed tantũ veræ conuenit. Concilium Trid. sess. 14. Cap. 4.

De quibusdam dubiis cum solutionibus circa contritionem. Cap. 5.

NOn est venialium necessaria cõtritio, sed mortalium cõmissorum, quæ alias per contritionẽ deleta non sunt. Rursus probabilius cum multis dicitur non esse necessarias singulorũ mortalium contritiones, sed vnam generalem omnium sufficere. Dicunt aliqui quod homo de peccato mortali tenetur statim conteri, cum primum eius recordatur verùm probabilius cum aliis dicitur, quod nõ, modò cũ in mentem, venit complacentiam fugiat. Conteri ergò tenetur, cum Sacramentum recipere, vel administrare debet, aut graue mortis imminet periculum, de quantitate verò doloris necessarii ad peccatorũ remissionem, dicendum quemlibet suffi-

cere, modo sit vel includat detestationē peccati super omne detestabile, nēpe quia tali cōtritioni semper adiuncta est gratia habitualis.

Quid sit confessio. Caput 6.

CONfessio * est actus hominis exterior, propriorū peccatorū, cum sui accusatione in foro spirituali & secreto manifestatiuus. Cū pœnitens potest, debet proprio verbo & ore peccata exprimere, vel signo, aut nutu vt mutus, potest etiā per interpretem, si est linguæ ignarus, nā talis confessio est licita prę̨sente pœnitente. sicut etiā illa quæ ita fit scripto vt pœnitens scribat, & confessarius legat, annuente pœnitente. Nullus tamen ad eam tenetur, sicut neque ad illam per interpretem, quia de se est publica, cum quod scripto mandatur ex se sit permanens. Confessio verò per

nuntium, vel litteras absente pœnitente, illicita, & inualida est.

De conditionibus validæ confessionis. Cap. 7.

SExdecim communiter assignari solent confessionis sacramentalis cõditiones, quarum tamen hę quatuor tantum necessariæ videntur. *Prima est, vt sit Integra, *Secunda diligẽs, * Tertia fidelis, *Quarta obediens. Integritas ex peccatorum numero & grauitate est attendenda, ita vt singula mortalia precisè explicentur eorumque grauitas, quod si pœnitens non recordetur præcisè numeri, addat sub dubio, fortè paulò rarius aut frequentius, vel certe tempus designet & consuetudinem peccandi, & eodem pertinet vt qui dubitat an peccatum aliquod sit letale, hoc exprimat, alioquin cõfessio non est integra.

Circumstantię actus peccati hoc versu continentur.

Quis, quid, vbi, quibus auxiliis,
Quoties, cur, quomodo,
quando.

Quę in istis quinque casibus duntaxat sunt exprimendæ. * Primò, quãdo circumstantia facit actum esse peccatum mortale, quod alias erat vẽniale. vt si quis dicat verbum iocosum vt alter occidatur, *Secundo quando circumstantia mutat speciem, vt furari in Ecclesia. *Tertio quãdo peccatum mortale multiplicatur, vt si quis furetur, vt adulteretur, sunt enim duo peccata, furtum videlicet & adulterium: vel qui habet votum castitatis, fornicetur, quod etiam habet locum in actibus internis, vt si quis desideret virginem aut coniugatam. * Quarto quando peccatum habet excommunicationẽ annexam. *Quinto quando restitutio est facienda tertiæ personæ

vt si iuratus est decem, cẽtum, vel mille aureos.

Quibus casibus confessio non integra, est valida. Cap. 8.

QVinque sunt casus in quibus confessio non integra, est valida:*Primus est, cũ quis post diligẽtem discussionem, oblitus aliquod mortale, illud non confitetur, quod tamen si postea memorię occurrerit confiteri debet: sed statim post communionem non est necessarium, quin imo potest illud seruare in sequẽtem annum.* Secundus, Infirmus moriens, nõdum omnia peccata, ore, vel nutibus confessus, est absoluendus, si aliqua prius narrauit, quin etiam & ille, qui ante confessarium petiit, & eo aduenite iam sensum perdidit, absolui poterit quemadmodum & mutus qui non potest omnia confi-

teri. * Tertius ; Quando pœnitens habet casus reseruatos cum excommunicatione, ab excommunicatione prius vt absoluatur oportet, si autem sine excommunicatione, potest quidem primo inferiorem adire, debet tamen ei etiam reseruata confiteri, quo facto poterit Sacerdos a non reseruatis eum absoluere, ac deinde ad superiorē, vt à reseruatis absoluatur mittere qui superior posset etiam primo auditis reseruatis, ab iis tantum absoluere, ac deinde pro non reseruatis ad inferiorem eum mittere. Consilium tamen optimū est, quod à superiore primo absoluatur ab omnibus, vel ab eo facultate obtenta ab inferiori etiam à reseruatis absoluatur. * Quartus. Si ex aliquo peccato vel illius circumstantia in confessione manifestata, pœnitenti vel confessario, aut tertię personæ aliquod graue damnum immine-

ret, tunc si alius confessarius haberi non poterit, aliis confessis, illud peccatum, vel illam circumstantiã dissimulare poterit donec cõmodè alteri confiteri possit, secus tamen quando illud damnum non esset aliud quã infamiæ tertiæ cuiusdem personæ apud confessarium, & persona illa huiusmodi esset vt ea non declarata nó posset declarati peccatum, tunc enim integrè esset confitendum quicquid alii dicant in contrariũ. * Quintus casus & vltimus est, cum pœnitẽs aliqua vel mortalia alias confessa, vel venialia numquam confessa omittit, nimirũ quia hæc non sunt de necessitate confessionis.

De tribus aliis qualitatibus Cõfessionis. Cap. 9.

SEcunda cõditio confessionis est, quod sit diligens, seu dili-

genti discussione facta, pro conditione personæ & tempore ex quo confessa est, nam si ex defectu huius accuratæ discussionis aliquod mortale pœnitens in confessione obliuisceretur, confessio esset irrita, & iteranda.* Tertia quod sit fidelis, id est sine vllo mẽdacio, ita vt nullum peccatũ falso addatur, aut ex certa scientia negetur sed dicantur dubia pro dubiis, certaque pro certis. Mendacium tamen de veniali re, nunquã mortale est.* Quarta & vltima circumstantia est, quod pœnitens sit obediens confessario, & in omnibus parere paratus, satisfactionis pœnam libenter acceptando, & peccatorum occasiones fugiendo, ad quæ confessarius potest pœnitentem obligare. Trid. sess. 114.

Quibus in casibus confessio sit iteranda. Cap. 10.

NOuem dãtur præcipui casus, in quibus confessio est iteranda.* Primus est ex parte pœnitentis, vt si sciens se maiori aut minori excommunicatione irretitum ad confessionem accedit,& peccatorum absolutionem scienter recipit, antequam ab excõmunicatione absoluatur: nã si ignorantia inuincibili accessit, valida fuit confessio, & non iteranda. Ex parte confessarii sũt tres casus:*Primus,quando non habet ordinariam .vel delegatam absoluendi facultatem, nec est expresse approbatus ab Episcopo. Concil. Trid. sess.23.c.15.*Secundus quando(extra extremam necessitatem) idem confessarius est nominatim excommunicatus vel clerici publicus percussor.*Tertius,si sit pœnitus ignarus ita vt non possit discernere inter peccatum veniale aut mortale, idque absolutè, vel

reſpectu pœnitentis, vel neſciat formam abſolutionis. Ex defectu contritionis tres alii dantur caſus. *Primus, quando pœnitẽs ſine vllo dolore, & deteſtatione ad confeſſionem accedit. *Secũdus, quãdo propoſitum vitandi peccata in futurum non habet. *Tertius, ſi nõ contritum vel ſufficiẽter attritum (qualis eſt attritio ob pœnas inferni ex Tridentino. ſeſſ. 14. Cap. 4.) ſe ad confeſſionem accedere nouit, nam ſi verè non eſſet & tamen ſe ſatis diſpoſitũ exiſtimaret, non eſſet iteranda confeſſio, ſed defectus cognitus eidem confeſſario eſſet aperiendus. Ex parte confeſſionis vnicus datur caſus, cum videlicet integra non fuit, exceptis tamen caſibus ſupra Cap. 8. poſitis, vt ſi quis ſponte peccatum aliquod prætermiſerit vel ex craſſiore ignorantia. *Nonus & vltimus eſt, ex parte ſatisfactionis, cũ pœnitens ad confeſſarium accedit

animo non satisfaciendi, vel non obediendi, in quibus obedire tenetur. Illud tamen sciẽdum, quod si iteranda est confessio, & alteri facienda confessario, omnia iterum sunt ei accusanda: si verò fiat eidem sufficiet omissa repetere, si confessarius talis pœnitentis statum, peccata, aut pœnitentiam impositam recordetur.

De satisfactione. Cap. II.

SAtisfactio est* offensæ prætæritæ quo ad pœnam recõpensatio. Sacramẽtũ namque abstergit generaliter maculam per gratiæ infusionem, tollitur verò etiam ipsa pœna, sed non semper tota, manet enim vt plurimũ pœna temporalis in hoc mundo, vel purgatorio implenda. Ex Concilio Tridentino sessione 14. capit octauo. Cæterum tria sunt opera quibus mediantibus fieri potest

talis

talis recompensatio, ieiunium Eleemosyna, & Oratio. Vltra satisfactionem autem à Confessario pœnitenti impositam, potest quilibet aliam sibi addere, vel eãdem sibi augere, sed prior maioris est efficaciæ, illa siquidem immortali facta non iteranda est, nãetsi tunc Deo non satisfacit, postea gratia accedente, reuiuiscendo satisfacit, hæc autem nunquam reuiuiscit. Debet igitur confessarius hanc satisfactionis pœnam pœnitenti imponere, & pœnitens tenetur eandem acceptare, & adimplere, si potest, potest autem extra articulum mortis. Hæc verò pœnitentia deber esse tam personæ pœnitentis quam grauitati peccatorum illius proportionata, nisi quod minui possit I. ratione contritionis, si vehemẽs deprehendatur in pœnitente. Secundo, ratione indulgẽtiæ vel iubilæi quod tunc sit. *Tertio si metus sit ne pœ-

nitens non impleat. *Quarto si sit debilis vel senex. * Quinto si imponantur illi opera alias debita. Cæterum etsi vnus Confessarius non possit pœnitentiam ab alio positam sine causa mutare, quãdo tamen aliqua subest, potest, & mutare & minuere, neque necesse est vt pœnitens confessionem illi repetat. Quamuis autem possit alter pro altero satisfacere de licentia Confessarii, hæc tamen sine rationabili causa nequaquam debet dari.

De Absolutione. Cap. 12.

SAcramenti huius Absolutio, quæ & forma nũcupatur, est hæc. Ego te absolvo a peccatis tuis. Ex quibus necessaria tantum sunt, Te absoluo, si quis tamen sine causa cætera relinqueret, graviter peccaret. Ex quadã pia consuetudine solent aliqua antè addi-

vt Misereatur tui, &c. & aliqua post; vt Passio Domini nostri Iesu Christi,&c. Absolutio cum ratihabitione facile danda non est, nec si detur cum cõditione de futuro valet,sed tantum de præsenti, vt si ita res se habet, vt narratur; vel de præterito, vt si hoc feci sti, ego te absoluo. Huiusmodi tamen conditiones non sunt inter verba formæ apponendæ, sed potius ante pœnitenti aperiendæ. Melius est ante absolutionem pœnitenti ignoto satisfactionẽ imponere: noto verò, & obedienti etiam post sine periculo poterit imponi. In vna eademque peccatorum confessione vna impendenda est absolutio, sed si de eisdem peccatis plures fiant confessiones, vt cum quis iterum eadem peccata confitetur, vt in confessione generali potest ab eisdem peccatis sæpius absolui.

De Confessario. Cap. 13.

QVatuor in Confessario requiruntur cõditiones. Ordinis potestas: Iurisdictio non impedita: proprietas, & scientię facultas: *Primo nãque in quolibet Confessario necessarius est ordo sacerdotalis· quare confessio laico facta nulla est, & ad eã nullus tenetur. * Secundo, Necessaria est Iurisdictio, saltem in foro interiori, & est triplex. Ordinaria, delegata, & iure concessa. Prior est in Episcopo, & Curato, delegata in iis, qui ab illis illam acceperunt. Iure concessa est in his, qui Apostolicũ habent Diploma. Requiritur *Tertio, proprietas, id est, quod sit proprius Sacerdos pœnitentis, seu habens Iurisdictionem in ordine ad pœnitentem ratione sui officii, talis enim confessarius duntaxat proprius dicitur, vt Parochus in sua Parochia, Abbas in suo Monasterio, Episco-

pus in sua Diœcesi, Papa in Vrbe, & Orbe. Quilibet autem pœnitens proprio confieri debet Sacerdoti, nisi alteri confiteatur, qui delegatam, vel iurisdictionem ex officio habeat, Prælati tamen omnes habent à iure sibi confessarium eligendi facultatem. Cardinales autem, qui Episcopi non sunt, nec legati, non habent hãc potestatem à iure, quia propriè prælati non sunt: sed habent ex priuilegio. Quidam dicunt Sacerdotes omnes inter se posse mutuo confiteri ex quadam consuetudine, & tacita Episcopi, vel Parochi licentia, sed nunc non habet locum hæc opinio, cum Concilium Tridentinum Sessione 23. Capite 15. contrarium decreuerit. Sunt tamen sex casus, in quibus licet etiam non proprio Confessario confiteri. *Primus est, ex facultate proprii, cuilibet approbato ab Episcopo

Secundus. Cum quis habet Bullas, vel Diplomata non abrogata. Tertius. Vagabundi qui nullum habent certum domicilium, Peregrini, viatores, & studentes extra propria loca & domicilia, tunc enim ei tenentur confiteri, in cuius sunt iurisdictione & possunt ab eo absolui à casibus qui erant reseruati suis Episcopis nisi etiam reseruati essent ab Episcopo loci. * Quintus. Cum quis confitetur Pœnitentiariis Romæ constitutis vel confessariis habentibus priuilegium & approbatis ab Episcopo. * Quintus. Quando cõfessarius proprius est indoctus, vel sollicitator ad malum, seu confessionis reuelator, petenda tamen est à proprio licentia, nisi sit ignarus, quam si neget potest alius adiri, * Sextus. In mortis articulo in quo quidem confessio etiam facta non approbato erit valida.

De iis à quibus proprius Confessarius absoluit, & casibus reseruatis. Cap. 14.

CVratus ab illis absoluit peccatis, & censuris, quæ maioribus Prælatis non fuerint reseruata. Episcopus ab omnibus Papæ non reseruatis. Papa verò ab omnibus peccatis & censuris vbique & semper, nec ei reseruantur peccata vlla, nisi censuram annexam habeant, vt supra est dictum: Quare cum Papa dat priuilegium soluendi à casibus Papalibus, dat etiam ex consequenti facultatem absoluendi à censuris, quibus ablatis, probabile est Curatum quemlibet posse à talibus peccatis absoluere, etiamsi alias essent Episcopo reseruata. Episcopis reseruantur peccata cum censura, & sine censura, & de iure hæc illis re-

seruantur. * Primo. Votorum dispensatio, papalibus omissis, Iuramentorum relaxatio :& aliquarum Irregularitatum, & excommunicationum non papalium.* Secundo peccatum Incendiariorum,qui sunt etiam excommunicandi, sed post excommunicationem tale peccatum reseruatur Papæ.*Tertio,peccatum notorium : propter quod antiquitus publica pœnitentia iniungebatur, vt concubinatus notorius, blasphemia, quod tamen probabiliter aliqui negant, cum numeralis pœnitentia non sit in vsu. Ex communi consuetudine videntur etiam reseruari homicidia, mutilationes reales, crimen falsariorum, & eorum qui falsum in iudicio iurant contra aliquem, vel tacendo verum, vel dicendo falsum, ac eorum qui falsas scripturas faciunt. Sacrilegia pariter : rapinæ rerum Ecclesiastica-

rum: Diuinationes, Incantationes, ac Dœmonum inuocationes. Pœnitentiarii vero Romæ ab iis omnibus absoluunt, & etiã ab omnibus excommunicationibus Episcopis reseruatis: & ab aliis censuris, & votis, à quibus nec ipsi Episcopi absoluunt.

De scientia Confessarii. Cap. 15.

SCientia est quarta conditio confessariis necessaria, vt supra Cap. 13. tactum est. Est enim iudex ipse confessarius fori interioris, ideò eorum, quæ in suo foro accidunt, peritiam habeat necesse est. Scire autẽ debet, quæ peccata mortalia, quæ venialia fuerint ex suo genere, & circumstantias peccatorum necessarias, & inter mortalia, quæ habent excommunicationem annexã, quæ restitutioni pecuniæ, damni illati, & famæ obnoxia: Contractus

illicitos vſuræ, & ſimoniæ. Quæ abſolutionis impedimenta quibus in caſibus confeſſiones valide vel repetendæ fuerint. Non tamen omnes confeſſarii eadem ſcire tenentur. ſed qui in ciuitatibus plurium & magnorum mercatorum confeſſiones audiunt, plura etiam ſcire debent & ſaltem debent ſcire dubitare. Scientiæ addenda eſt prudẽtia ad remedia opportuna præſcribenda, & ſanctitas, nam qui in mortali peccato confeſſiones audiunt, mortaliter peccant.

De ſigillo à Confeſſario obſeruando. Cap. 16.

SIgillum eſt obligatio occultãdi peccata quę in confeſſione ſunt cognita. Quæ enim in cõfeſſione habentur, etiam venialia, circumſtantiæ, ac defectus qui ad famam pertinent, tegenda

sunt semper. Quare confessarius nec in generali dicere potest, audiui mortalia peccata Ioannis. Venialia verò in generali manifestari possunt. Quando vero pœnitens non accusatur in speciali, etiam mortalia reuelari queunt, si fieri sine scandalo possit. Quod si pœnitens det licentiam cõfessario, vel extra confessionem eadem peccata cognouerit: pœnitentem tunc confessarius poterit prodere, ac propalare, quamuis ne quidem in hoc secundo casu. possit dicere se audiuisse in confessione. Sed alias nunquam, etiamsi totius ciuitatis, vel Reipub. immineret ruina, aut sub iuramento, vel mortis pœna à iudice cogeretur. Est enim tanta huius sigilli obligatio, vt extra confessionem, ipse confessarius non possit pœnitentem alloqui de peccatis in confessione auditis. Ad hoc sigillum tenentur omnes, qui pecca-

ta in confessione tantum manifestata, nouerunt, etiam qui à Sacerdote reuelante, vel ex curiositate, seu malitia immediatè in cõfessione audiuerunt.

De Examine à Confessario faciendo, Cap. 17.

VT Confessarius multorum pœnitentium insciticæ suppleat, debet eos diligenter examinare ante confessionem, in confessione, & post ipsam confessionem.* Primò ante cõfessionem ea petat, quæ absolutionem, vel cõfessionem ipsam impedire possent, quæ sunt septem. * Primum locum tenent casus, & censuræ reseruatæ, quare de iis primò pœnitentem examinabit, & si habebit huiusmodi casus, prius ipse impetret absoluendi facultatem, vel certè ad superiorem, pœnitentem mittat, vt ab eo absoluatur.

*Secundò, petet Confessarius an pœnitens habeat aliquod pecuniarum, vel famæ restitutionis debitum, aut votum, & sit in solutionis mora. *Tertio, de pœnitentis statu, an videlicet solutus, vel coniugatus, seu Ecclesiasticus sit, si solutus, an promiserit se ductum vxorem, & impedimentum aliquod habeat. Si coniugatus, an habitet cum vxore, vel non, & iustam habeat causam, alioquin non esset absoluendus, sicut nec Clericus, qui plura retineret beneficia curata, vel simplicia sine Papæ dispensatione, vel non resideret. *Quarto, quandiu non sit confessus, si annum excesserit, aut aliquod peccatum in præteritis confessionibus celauerit *Quintò, Si diligenter conscientiam propriam examinauerit. Sexto. Si doleat de peccatis, & abstinendi propositum habeat. *Septimo, an sciat fidei articulos, & Decalogi præ-

cepta, nam hæc sub mortali quilibet tenetur scire, & nescientes non sunt absoluendi, nisi cogantur quamprimum illa addiscere.

De iis, quæ in confessione sunt examinanda. Cap. 18.

NVllo modo Confessarius pœnitentẽ interroget, nisi prius ea, quæ ipse nouit, vel memoria tenet, humiliter accuset, nam si de peccatis antea non cogitauit, est dimittendus, si cogitauit, fieri non potest, quod aliquorum non recordetur. Ignaros autem pœnitẽtes prius interrogabit de circumstantia peccati speciẽ mutante, vt si percussit laicum, vel clericum, in loco sacro, nec ne, & an animo occidendi, an non, & an hoc vel illud existimatet esse peccatum mortale, nec ne. Hinc de peccatorum numero, si actus sit interior, vel exterior, de occa-

sionibus peccatorum, de tempore, & frequentia, atque aliis, prout cõditioni, & pœnitentis saluti confessarius expedire nouerit.

De iis quæ post cõfessionem sunt examinanda. Cap. 18.

NE pœnitens in peccatorum discussione, aliqua ex ignorãtia, vel memoriæ defectu imprudẽter omittat, poterit etiam confessione ab illo facta, confessarius aliqua interrogare. Primũ an prauo fine fecerit, quæ de se bona erãt, si habuerit animũ aliqua peccata cõmittere, quæ ex impotẽtia, vel timore postea non cõpleuerit: nũ alios etiã suo exẽplo, vel verbo ad peccandũ induxerit. Rursus per præcepta discurrat, ea tantum petendo, quæ ante omissa, in confessione fuerant. Personarum qualitatem consideret, an docti, vel

simplices. caueat circũstantiarum numerũ superfluũ in peccatis carnis exquirere. Demũ satisfactionẽ ei salutarem, pro culparũ modulo prudẽter impẽdat, deinde absoluat.

De Sacramenti Pœnitentiæ effectu. Cap. 20. 21.

QVicunque post rationis vsum mortaliter peccauit, semel saltem in anno confiteri tenetur, vt monemur c. vtriusque sexus, de pœnit. & remiss. Et quamuis in toto anni circulo cõfessionis tempus determinatum minimè habeatur, in Paschate tamen cum quiliber communicare debet propter tanti Sacramenti reuerentiam ritè confiteri poterit. Quod si priùs illo anno fuerit cõfessus, & mortali culpa tunc non grauatur (remoto scandalo) in Paschate sine confessione digne

commu-

communicabit. At si anno transacto non fuit confessus, peccat mortaliter, & sub eadem peccati pœna ex tunc confiteri tenetur, toties quoties commoda confitendi se obtulerit occasio: vti Toletus ipse lib. 6. c. 18. clarius ostendit. Pœnitens non tenetur sigillo confessionis, sed ad libitum potest sua peccata reuelare, ac etiam pœnitentiam impositã propalare, modo absit suæ famę, vel confessarii neglectus. Necessitate vrgente, cum mortis imminet periculum, vt tempore belli, vel cum nauigio est iter facturus, plures vni confiteri simul rite poterunt. Si autem circa aliquod peccatum sint doctorum contrariæ opiniones vtrinque probabiles: & pœnitens diuersam à confessario sustineat: confessarius debet ei cedere, & absolutionem impendere. Effectus huius Sacramenti sunt culpæ remissio, gratiæ collatio, vel

eiusdem augmentum in habente: remissio pœnæ æternæ quam in temporalem commutat, & huius temporalis pars deletur, cum pœnitens confessioni rursus subditur, eadem peccata cõfitendo.

Finis Tertii Libri.

LIBER QVARTVS.

In quo agitur de Virtutibus Theologicis, & primæ Tabulæ præceptis.

Quid sit fides, & quæ sit eius materia. Cap. I.

FIdes est * assensus eorum, quæ per Spiritum Sanctum Ecclesiæ sunt reuelata, quatenus sunt à Spiritu sancto. Ea autem quæ reuelata sunt, credi possent,

multipliciter, aut quia ratione probabili, vel miraculis, seu alia simili causa sunt confirmata. Inter omnes tamen assensus ille solus dicitur fides, quo credimus reuelata esse vera, quia Deus dicit per Ecclesiam suam. Alia verò quę Dominus alio modo reuelat Sanctis suis, vt Sanctæ Brigidæ, fide non credimus, sed humana tantum opinione. Sex autem sunt, quę certò credere debemus per Spiritum sanctum Ecclesiæ Catholicæ reuelata: Primo loco sunt, ea quæ in scripturis Canonicis continentur. * Secundo, illa quæ per Apostolicas traditiones vniuersales cònseruantur * Tertio, Quæ in Conciliis generalibus, vel Prouinçialibus à Sede Apostolica confirmatis certò determinantur. *Quarto, Ea, quæ à Romano Pontifice, vt tali, de fide esse definiuntur.* Quinto. Illa, quæ vnanimi consensu omnes sancti Docto-

res tradunt. *Sexto & vltimo, quæ ex aliquo horum infallibili argumento deducuntur.

De modo, & neceßitate fidei. Cap. 2.

SIne hac fide ab Ecclesia Catholica edocta, nullus saluari potest: sed omnes in æternum damnantur. Est enim necessaria ad salutem, & ad opera meritoria, quæ sunt media, quibus in cœlum ducimur. Præter fidem autem interiorem, exterior fidei cõfessio necessaria etiam est in duobus casibus. *Primo. Quando si secus fieret, bonor Dei auferretur, vt si quis de fide interrogatus eã negaret aut suo silentio vel quouis alio actu eam negare videretur. *Secundo. Quando ex negatione vel dissimulatione fidei periculũ aliis crearetur existimandi fidem Christi non esse veram. Cæterum quã-

uis non omnes teneantur ad fidē explicitam omnium, quę credenda sunt, nullus tamen præcepto fidei per solam implicitam satisfacit. Vtraque namque necessaria est, & explicita quidem omnium articulorum fidei, quæ ad humanitatem, & Christi diuinitatem spectant, implicita vero aliorum omnium quę credit Ecclesia.

Quid sit hæresis, & quare sic dicta. Cap. 3.

HÆresis Græcè, Latinè electio dicitur, quasi fides sit ex propria hominis voluntate electa. Definitur sic: Hęresis est * error pertinax hominis Christiani, fidei Catholicæ ex parte contrarius. Ex quibus verbis habentur quinque ad hæresim esse necessaria. Primū est error, vel existimatio, aut veri pro falso, aut falsi pro vero. * Secundo, necesse est,

quod talis error sit contrarius ei, quod tenet, vel docet Ecclesia. Tertiò, quod non aduersetur omnibus, quæ fidei fiunt, sed ex parte, contra aliquas veritates duntaxat. *Quartò. Quod sit Christiani, id est baptizati alioquin non dicitur hæresis. * Quintò, Quod tali errori pertinacia adhæreat. Est enim hæc pertinacia adeò necessaria, quod sine vlla nunquam sit hæresis. Pertinacia autem tunc est quãdo contra Ecclesiam aliquid esse cognoscitur, & nihilominus sustinetur, aut defenditur.

Quibus modis peccetur peccato hæresis. Cap. 4.

TRipliciter quis peccare peccato hæresis potest. *Primò tantũ interius, cũ in corde habet aliquid erroneũ cũ pertinacia circa materiam fidei. * Secundo. Exterius tantum, cum quis in corde retinens fidei veritatem, ex-

terius, ita, vel timore perculsus, aliquem actum fidei contrarium ore, vel opere committit. *Tertio quando quis interius, & exterius aliquid facit contra fidem, idque aut coram aliis, vel nullo præsente. Omnia ista sunt peccata grauissima, sed primum, & tertium tantum faciunt hominem hæreticum: etsi primum excommunicatione careat: enimuero Ecclesia non iudicat de occultis. Qui vero committit errorem tantum exterius, quamuis excommunicatus, & hæreticus censeatur, nihilominus in foro interiori nulli subiacet excommunicationi, & à quolibet confessario potest absolui. Dubius in fide infidelis est, si tale dubium sit voluntarium, & pertinaciam habeat annexam. altero enim horum deficiente, dubius in fide, infidelis nõ erit. Hæreticus occultus potest absolui ab Episcopo Conc. Trid. Sess. 24. cap. 6.

De iis, qui excommunicantur propter hæresim. Cap. 5.

NOn tantum hęretici, sed etiã qui sciunt aliquẽ hæreticũ pertinacem, publicũ vel secretum, & non illum denunciant Inquisitoribus in iure excõmunicantur. * Secundo. Eadem censura plectuntur Inquisitores, & eorum Vicarii, atque Episcoporum substituti ad executionem inquisitionis, quando contra eorũ scientiam, vel iustitiam alicui hęresis crimen imponunt, vel non procedunt contra quem debent, & hæc excommunicatio est reseruata Papæ. *Tertio. Excommunicantur iudices, Domini, locorumque Rectores, & Prouinciarum, quando non obediunt Inquisitoribus, vel Episcopo circa hæretici inuestigationem, aut carceri de-

putatum, carceri non tradunt, vel ſtatim poſtquam relictus eſt brachio ſæculari non puniunt debita pœna, vel è carcere ſine Inquiſitoris, vel Epiſcopi licentia liberant: Cum ſe immiſcent in cognoſcendis hæreticorum cauſis, cum directè vel indirectè proceſſum, vel ſententiam impediunt, aut demũ, cum Inquiſitori, vel Epiſcopo ſe opponunt in hęretici cauſa, & hæc excommunicatio eſt Epiſcopalis. Si verò hæreticum vt talem defendunt, eſt excommunicatio Bullæ Cœnę Domini. * Quartò. In illam excommunicationem Epiſcopalem incurrunt etiam, qui auxilium, vel conſilium huiuſmodi poteſtatibus præbent. Vide ſup. lib. primo cap. 19.

De Apoſtaſia, & Infidelitate. Cap. 6.

APoſtaſia eſt * error hominis baptizati, fidei Catholicę ex toto contrarius. Quare grauior hęreſi Apoſtaſia eſt, quia illa, ex parte, hæc ex toto, fidei contraria eſt. Apoſtaſia dicitur retroceſſio, & Apoſtata retrocedens. Apoſtata triplex, interior tantum, exterior tantũ, & interior & exterior ſimul, & hic duntaxat, iuris pœnas, & excommunicationem incurrit Bullæ Cœnæ Domini in vtroque foro. Infidelitas eſt error hominis nõ baptizati, fidei Catholicæ ſiue ex toto ſiue ex parte contrarius. Vnde includit hæreſim & Apoſtaſiam, tamen in duobus tãtũ caſibus eſt peccatũ. Primo quãdo quis ſufficiẽtem fidei Chriſtianæ notitiã habet, & nihilominus in ſuo perſiſtit errore. *Secũdo quãdo negat id quod ratione naturali ſciri poteſt, & ad Cath. pertinet fidẽ. Quãobrẽ Iudæi, & alii Infideles, qui propè Chriſtianos ſunt, &

de noſtra Chriſtiana Religione notitiam habent, à peccato non excuſantur, ſicut nec illi, qui plures colunt Deos, & præcepta diuina contemnunt.

De Spe, & peccatis contra Spem. Cap. 7.

SPes eſt* inclinatio ad futuram beatitudinem, Dei auxilio cõſequendam.* Peccata contra ſpem ſunt duo: Deſpetario & Præſumptio. Deſpetario eſt quidam receſſus voluntatis à beatitudine futura. Deſperatio interdum eſt ſine fide, & vnum quid cum hæreſi: vt ſi quis beatitudinem non crederet eſſe, vel à Deo poſſe dari, aut nolle eam dare: alias cum fide manet, vt ſi quis putet ſibi Dominum non remiſſurum peccata, quia multa, & magna ſunt. Eſt vero peccatum deſperationis, minus hæreſi, ſed periculoſius. Præ-

sumptio est duplex. vna qua quis vult beatitudinem suis naturalibus meritis, & viribus consequẽdã, absque Dei gratia, vt Pelagiani. Altera est qua quis vult beatitudinẽ sola diuina misericordia, & absque vllo proprio merito consequendam, vt Lutherani, & hic error est peior priore.

Quid sit Charitas, & quam necessaria. Cap. 8.

CHarita. -st * hominis amicitia ad Dominũ, supernaturalis. Perfecta amicitia quatuor necessario requirit. Primũ vt sit amor. * Secundũ quod sit amor benevolentiæ, quo alicui volumus bonũ, bonũ autẽ ipsum volitum est amore concupiscentiæ. Tertium, quod sit amor mutuus: quando nãque solus est, ratione amicitiæ caret. * Quartum, quod sit

aliqua conuersatio inter amantes. Illud tamen certũ est, solam amicitiam dici charitatem quæ est inter hominem & Dominũ, in qua prędicta quatuor pulchrè elucent. Homo namque amat Deũ amore beneuolentiæ, quatenus vult ipsũ esse bonũ, & iustum, vt reipsa est. Dicitur* amor mutuus, quia homo amat Dominum, & ipse prius dilexit nos, hoc tamen discrimine, quia nos non impendimus ei tale bonum, quod volumus, at ipse suo amore dat bonum quod vult. Extat inter nos, & ipsum mutua conuersatio, quatenus nos in ipsum tendimus, vt finis noster est, & manifestat nobis suam voluntatem, quam & implemus: propter quod Christus Ioh. 15. ait. Nom dicam vos seruos, sed amicos, quia quæcunque audiui à pãtre meo nota feci vobis. Necessaria est autem hæc charitas, vt opera nostra efficiantur vitæ æter-

næ meritoria, & beatitudinem ipsam postremò consequamur.

De peccatis contra charitatem. Cap. 9.

MVlta sunt peccata contra charitatem, sed quatuor præcipuè, Odium in Dominum. Amor inordinatus, vt cũ Dominum amamus non propter ipsum, sed præcipuè propter bona quæ ab ipso speramus. Tertio loco ponitur amoris tepiditas, quia nos ipsum non amamus, super omnia. Debet enim hic amor esse summus appretiatiuè, etsi necesse non sit, vt sit summus intensiuè. * Quartum, ex tempore pendet, quia nõ diligimus ipsum, quando debemus: Cum primum enim ad annos peruenerimus, in quibus iudicii ratio viget, tunc tenemur nos nostraque omnia in finem vltimum dirigere, & Do-

minum ipsum rebus omnibus anteponere, ac super omnia amare alioquin peccant mortaliter. S. Thom. 1. 2. q. 89. 6. quæ sententia probabilis est, & securius est ita facere. Aliud tempus est quando conteri tenemur ratione aut periculi mortis, aut Sacramenti suscipiendi, vel ministrandi, & deest confessarius. Quod vero aliqui addunt etiam nos ad id teneri quando vel recipimus magnum aliquod beneficium à Deo, vel aggredi debemus opus aliquod arduum. Salubre tantum consilium est, non præceptum.

De amplitudine charitatis, erga proximum, & de schismate.

Cap. 10. & 11.

PRoximi omnes illi dicuntur, qui nobiscum participes esse possunt eiusdem finis beatifici & hi sunt omnes homines in

hac vita degentes, etiam peccatores, inimici, & infideles, qui quidem omnes ex charitate sunt diligendi quo ad quatuor. * Primò, quo ad vltimũ finem, quem omnibus velle debemus. * Secundo. Quantum ad spirituale gratiæ, & fidei bonum, quatenus quibuscumque bona debemus omnibus velle & curare salutem ipsorum etiam cũ dispendio vitæ propriæ in extrema necessitate spirituali illorum: & extra necessitatem, quando id possumus sine notabili damno nostro. * Tertio. Quantum ad vitam corporalem, vt non solum eam illis cupiamus, sed etiam conseruare studeamus, si possimus sine nostro notabili damno, vt de eleemosyna infra dicetur; Tract. de pec. mortal. c. 33. * Quarto. Quo ad officia communia, quæ aliis hominibus exhibere debemus. Vnde quando inimicus incidẽ cũ aliis ratione conuenit, non

sunt ei communia beneficia subtrahenda : vt si manet in eadem domo, vel in eodem collegio, alioquin & salutare ipsum debemus, si ante inimicitiam salutabamus. Peculiaria autem beneficia, quæ solent amicis exhiberi, vt sunt familiares colloquutiones, nemo tenetur exhibere inimicis, licet antea exhibuisset, modo nullum inde scandalum oriatur. Inimicis præterea nostris iniuriam remittere tenemur quantum ad odium, & malivolitionem, sed non quãtum ad debitam satisfactionem, & rectæ iustitiæ pœnã, quinimo ratione peccatorum possumus eos odio habere, cum Propheta dicentes : Iniquos odio habui : & malũ pœnæ alicui desiderare obspiritualem emendationem, atque etiam mortem ob aliorum bonũ, aut iustitiæ zelum. * Schisma est rebellis, & spontana separatio ab vnitate Ecclesiæ, & quando inte-

rius cõmittitur absque opere exteriori, aut verbo, est peccatum mortale, sed nulli censuræ subest: quando est cum errore in intellectu, ita quod Ecclesiæ, vel Papæ non credatur, habet adiunctam hæresim & pœnis dictis subest.

De primo Decalogi præcepto. Cap. 12.

DEcem Decalogi præcepta in duabus tabulis Moysis, digito Dei scripta fuerunt: quorum prima tria, quæ in prima erant Tabula, ad Dei cultum pertinent. Alia septem in secunda: ad vtilitatem proximi spectant omnium tamen transgressio est mortalis, nisi leuitas materiæ, vel defectus deliberationis, vt in repentinis, vel defectus pleni rationis vsus vt in semidormientibus pollutis, planè excuset. Illud tamẽ certũ est

hæc præcepta obligare omnes homines ad actum incluſum in præcepto, ſed non ad finem præcepti, qui eſt charitas. Vetitum enim eſt hominem occidere, ſed non ex charitate non occidere. In hoc primo præcepto vnius Dei cultus, & adoratio iubetur, in qua tres inueniuntur actus. Primus eſt actus intellectus, quo Dei excellentiam, & dominationem eius cognoſcimus.* Secundus eſt actus volũtatis, quo nos ei ſubiicimus, & eſt ipſa adoratio. * Tertius eſt actus exterior, quo talem ſubiectionem humilibus obſequiis, genuflexionibus, capitis inclinationibus, vel derectionibus, ſponte demonſtramus: & hic eſt effectus adorationis quæ adoratio maximè in miſſæ ſacrificio elucet, quod ſoli Deo debetur.

De Blasphemia, & Impietate.

Cap. 13.

PEccata contra Christianam Religionem, primò hoc prohibentur præcepto, quorum maximum est blasphemia, quæ propriè est contra Dei laudem, inquit Tolet. non contra fidei confessionem. Laus duplex est, interior, & exterior: & contra vtramque est blasphemia, qua Deo maledicimus, quod fit formaliter, cum apertè: & virtualiter, cum occultè id perperam agimus, vt si quis dicat, velit nolit Dominus, hoc faciam, vel Deo inuito hoc præstabo. Similiter qui ex contemptu, ait, Ad Corpus, & Dei sanguinem, vel iniuriosè Dei nominat partes, aut Sanctissimę Mariæ Virginis, & aliorum Sanctorum membra, & est peccatum mortale grauissimum, & vix remissibile, minus tamen est quando est per modum iuramenti. Contingit etiam blasphemare cõtra alias creaturas rationales mor-

tales, quod si nõ malo animo fiat, veniale tãtum est peccatum. Maledicere autem irrationales quatenus Dei, vel hominis sunt, est mortale. Si vero quatenus irrationales, est veniale duntaxat: & si ratione damni illati, nullum. quia hoc non tam est maledicere creaturæ, quam malo: sic namque Iob diei, & Dauid montibus maledixerunt Impietas peccatum est, honori, quem Deo, suisque Sanctis debemus contrarium: vt imagines conculcare, &c.

De Superstitione. Cap. 14.

SVperstitio est * vana Religio contra verum Dei cultũ. Fit duobus modis: primò, cum Deo vero cultum exhibemus eo modo, quo non debemus, vt si nunc sacrificiis veteris legis, vel alicuius falsæ sectæ ceremoniis, qui

cultus dicitur pernicioſus, aut ſuperfluo vteremur cultu, vt ſi plures genuflexiones fiant, vel pluries dicatur Alleluia, quàm Breuiarii doceant Rubricæ: quæ tamen ſuperſtitio, non eſt mortale peccatum, ſed tantum veniale, niſi ex contemptu fiat. Altero modo, quando exhibetur cultus Deo falſo: quæ quidem ſuperſtitio claudit ſub ſe quinque ſpecies. Idololatriam, Magiam, Diuinationem, Vanam obſeruantiam, & Maleficium. Idolatria eſt * diuini cultus exhibitio ei facta, qui nõ eſt Deus: quam ſi error in intellectu præcedat, opponitur etiam fidei, & ſubiicitur excommunicationi Cœnæ Domini. Si vero talis honor ex timore, vel paſſione procedat. Idololatria non eſt fidei oppoſita, nec habet cenſuram annexam, ſed eſt ſemper peccatũ mortale. Magia eſt * poteſtas inordinata faciendi, quod eſt ſupra naturam, quod

si diuino fiat auxilio, dicitur miraculum: si Dæmonis operatione, propriè Magia est. Dæmon tamen non habet per se potestatem efficiendi tales effectus, sed vel illos aliunde asportat, vt cum facit apparere serpentem, aut eos efficit applicando causas naturales, & accelerando earum actiones: aut sensus nostros deludit proponendo sensibus obiecta ex aëre condensato, seu sensus impediendo, & imaginationes hominum mouendo, vt appareant illis, quæ vere non sunt, aut talia non sunt vt apparent, siue ad hoc præcedat pactum expressum cum Dæmone, siue solum tacitum. Inuocatur verò Dæmon tacitè multis modis, atque interdum quidem, verbis non significatiuis: quandoque figuris, aliquando miscendo falsa quædam vt Christum laborasse febri, aut apponendo conditiones inutiles, vt quod her-

bæ tali die vel hora colligantur: ac demum quando effectus excedit virtutem medii, vt si quis promittat non lęsum iri ab inimicis qui hoc vel illud gestauerit, quæ tamen omnia ex simplici ignorãtia procedentia, venialia sunt, donec qui illa laborat, instruatur ab aliquo.

De Diuinatione. Cap. 15.

DIuinatio est enunciatio inordinata eorũ, quæ per naturã cognosci, nequeũt, vti sunt, quæ à sola diuina, vel humana pendẽt volũtate, vel futura cõtingẽtia, aut alia occulta, quæ quidem nec Dæmõ certò scire potest, quæ verò ipse futura enuntiat ea cognoscit, aut coniectura tantum, vel ex reuelatione boni Angeli Deo permittente, vel quia erant naturaliter euentura etsi secus videretur hominibus, vel quia ipse erat ea facturus. Inuocantur

autem Dæmon vel expreſſe, idque multis modis, quos vide apud Toletum, vel tacitè, vt cum quis ad aliquid cognoſcendum vtitur mediis quæ ad hoc nullam habétvim aut proportionem. Vbi circa Aſtrologiam notandum eſt, non negari, quin per illam poſſint effectus aliqui naturales cognoſci, vt ecclipſes, pluuiæ, &c. ſed eos tantum qui ex libera Dei, vel creaturæ, voluntate pendent: & ideò peccaret mortaliter qui ea vteretur ad illos effectus, exiſtimans illud iudicium eſſe certum, ſecus verò ſi incertum, idque ſemel atque iterum tantum. Augurium verò & auſpicium, quę ſunt aliæ diuinationis ſpecies, tunc licita ſunt, quando iis tantum ea prænunciamus, quæ aliqua animalia naturaliter prænunciare ſolent, quomodo Mergi mare liquentes ſignant tempeſtatem futuram, & veſpertiliones longè à domibus

volantes, ſerenitatem : peccat tamen mortaliter qui per animalia prænunciat ea quorum nullos habent inſtinctus. Eſt & aliud genus diuinationis quod Sortilegium dicitur, & eſt multiplex : vnum diuinatorium quod ferè ſemper eſt peccatum mortale, niſi quando expectatur in certis aliquibus caſibus, reſponſum à Deo, vt quando Saül miſit ſortem ſuper Ionatham, Nautæ ſuper Ionam. Aliud Diuiſorium, quod licitum eſt modo non fiat contra iuſtitiam, vel bonum Reip. aut in Eccleſiaſticis dignitatibus. Aliud denique conſultorium, quod ſemper eſt peccatum, quando reſponſum expectatur à Dæmone: ſecus vero quãdo à Deo, & eſt eius rei neceſſitas, vt quando media humana deſunt, & modo id fiat cum reuerentia, & in rebus non profanis.

De Vana obseruantia. Cap. 16.

VAna obseruantia est quarta superstitionis species, in qua Dęmon tacitè inuocatur, cũ in ea media assummũtur, quæ vim nõ habent ad tales effectus. Huius quatuor sunt species prima est Ars notoria, quæ continet orationes quasdam & ieiunia ad scientiam consequendã, & est peccatum mortale. Alia est obseruantia sanitatum, quando vana & inutilia media assumunt ad tales effectus, vt qui quibusdam orationibus sanant dolorem capitis, aut retinẽt sanguinis fluxum, &c. In quibus vtuntur verbis non significatiuis, sed vt plurimum ridiculis, quæ si ex ignorantia procedant, peccatum est veniale, si consultò fiant, mortale. Cum vero huiusmodi orationes nullam habent malam circumstantiam

& ex deuotione dicuntur, etsi in ea re non peccetur, melius tamen est ab illis abstinere, & sufficit à Sacerdote recitari Euangelium vel orationem aliquam Ecclesiæ, ex deuotione. Ad hanc reducitur herbarum collectio in die Ascensionis Domini. S. Ioan. Baptistæ, ante solis ortum, & vsus Carlini in Die Parasceue primò collecti. *Tertia est futurorum euentuum collectio ex rerum impertinẽtium obseruatione. * Quarta reliquiarum, cum nimirum vanæ portantur, aut veræ cum aliqua circumstantia vana: vt puta, quod Euangelium scriptum deferatur in carta virginea. Vltima species est Maleficium, quod est * ars nocẽdi aliis, Dæmonis potestate: & est duplex, amatorium, ad libidinem hominum animos alliciens: & veneficum, quo vel personis, vel rebus ipsarum nocent, incitando ventos, grandines, &c. Maleficus au

rem circa quatuor est interrogandus à confessario, in quibus grauiter peccare contingit. * Primo de pacto quod pepigit cum Dæmone. *Secundo, an aliquem errorem habeat contra fidem. *Tertio, quale maleficium fecerit, & an in eo adhibuerit res, aut verba sacra, & crediderit vim illis inesse ad tales effectus. Quarto, de damno quod fecit in rebus & personis, an fuerit mors, vel aliud, restitutione resarciendum. Maleficium maleficio tollere, non modo non licet, sed nec petere à maleficovt eo modo tollat, tollendum ergo est orationibus, Sanctorum inuocatione, & aliis id genus operibus pietatis.

Quid Votum, eius obligatio, atque materia. Cap. 17.

VOtum est *deliberata promissio, ex voluntatis proposito, Deo facta. In qua

definitione quatuor continentur: * Primum est deliberatio, quæ in vsu rationis, quæ satis sit ad peccatum mortale, consistit, vnde puer ante septennium, ebrii & inconsideratè sine consensu, vel coactè vouentes, non verè vouent. * Secundum, necessarium est voluntatis promittendi propositum. * Tertium, promissio, hoc est ipsa traditio & obligatio. * Quartum, quod talis promissio sit facta Deo immediatè, vel mediatè in sanctis suis: nam si hominibus fiat, non dicitur votum. Circa vo[illegible] materiam quatuor conditiones requiruntur. Quod materia sit possibilis vouenti & dum vouet, & cum adimplendum est votum. Quod non sit vana, vel indifferens ad bonum, & malum. Quod sit quid bonum, & ob bonum finem, & non ex causa mala. Quod sit de meliori bono, quale non est matrimonium, cum

sit Religioni contrarium. Quando verò votum est de materia alias in præcepto, tenet quidem, sed transgressor duo cõmittit peccata, vel vnum duobus æqui ualẽs. Qui autẽ contra votũ validũ, vouẽtem persuadet, semper mortaliter peccat, & in genere, circa voti obligationem intentio vouentis spectãda potius est, quam verba ipsa.

De Votorum differentiis, & ipsorum relaxatione. Cap. 18.

VOtum primo diuiditur in simplex, quod in sola promissione & traditione ex parte vouentis consistit, & in solemne, quod præterea continet acceptationẽ ex parte Dei cui fit promissio. Differunt vero hæc in quatuor. *Primò quia votum simplex ad plura se extendit, solemne verò non fit nisi de castitate in maiori-

bus ordi-

bus ordinibus,& de Religione per professionem. Simplex votum castitatis, & Religionis impediunt matrimonium contrahendum tãtum,solemne verò etiam contractum. Simplex Religionis non obligat vouentem, si non recipiatur in monasterium, aut si expellatur sine culpa, aut ante probationis annum, iusta ex causa egrediatur, at in solemni existens, etiam expulsus saltem ad castitatẽ seruandam tenetur,non tamen ad obedientiã vel paupertatẽ.* Quartò simplicis transgressio non facit apostatam, exceptis votis simplicibus SOCIETATIS IESV, at solemnis apostatam constituit, & dimittens Religionis habitum absque necessitate, incurrit excõmunicationẽ latæ sententiæ, etiãsi per horam tantum dimmitteret animo laicaliter viuendi,ea tamen excõmunicario nulli reseruatur. Qui autem facit contra votum ca-

stitatis solemnizatum per clericatum, etsi sit apostata quo ad mores, non incurrit tamen vllam excommunicationem. Immo qui minores ordines tantum suscepit, potest ducere vxorem sine peccato, tenetur tamen beneficium si aliquod habeat, relinquere, alioquin mortaliter peccat. Etsi beneficium illud habeat curam animarum, modo non sit collegiatum, tenetur omnes fructus restituere quos percepit à tempore quo statuit deserere clericatū. Votum solemne Religionis, dirimit Matrimonium ratum non consummatum, at votū clericatus nequaquam. Est enim efficacius Religionis votum, & quãuis possit à Papa dispensari, non tamen debet id fieri, nisi in grauissima causa. Rursus votum diuiditur in Personale, & Reale. Personale est quod ad personam tantum voventis spectat, Reale, ad rem tempo-

ralem, vt qui vouit eam dare in Eleemosynam, quod votum si filiorũ sit, à patre, vsque ad 25. annum, potest irritari, personale vero vsque ad 14. Est & conditionale votum quod obligat conditione posita, modo sit honesta: & pœnale, quod in pœnam ponitur, & etiam obligat quando sit ex bono fine, vt si non abstinuero hodie à ludo, voueo me ieiunaturũ: & absolutum quod absolute sit sine conditione & pœna. Differunt irritare, & commutare votum, dispensare, & absoluere voti transgressione, nam irritare, est annullare, & sic superior vota subditorum irritat, quin imo cum materia voti est contraria iis in quibus inferior superiori tenetur parere vt filius patri, statim vota fiunt irrita nisi à superiore approbentur. Commutare verò in melius & ipse vouens potest, in æquiualens aut paulo minus, Epis.

copi & prælati, non tamen ſine cauſa legitima, & iidem circa ſubditos diſpenſant etiam, iuſta de cauſa in votis omnibus, exceptis Papæ reſeruatis, quæ ſunt hæc quinque: Votum ſimplex Religionis, Caſtitatis perpetuæ: Sancti Iacobi, Hieruſalem, Sancti Petri Romæ & vota ſolemnia, quæ tamen ſi conditionata, & non abſoluta ſint, ad Epiſcopum pertinent, ſicut & ſi fuerint pœnalia. A voti transgreſſione quilibet confeſſarius poteſt abſoluere, ſicut & ab aliis peccatis, ſed manet voti obligatio in futurum.

De Tentatione Dei. Cap. 19.

TEntatio eſt* dictũ, vel factũ ad capiendã alicuius experientiã. Quare ille Dominũ tẽtare dicitur, qui aliquid dicit, vel facit, vt Dei potentiam, vel ſapientiam, ſeu aliud quoduis eius attributum exploret, vel aliis ma-

nifeſter. Tentari poteſt Deus expreſsè, vt qui ea intentione id facit, vel tacitè, vt ſi talis quidem intentio deſit, id tamen quod quis facit ad hoc tendit, quod contingere, poteſt tripliciter: vno modo cũ quis relictis mediis naturalibus à Deo ordinatis ad tales effectus, eoſdem alia quærit via: altero modo, cum quis ſponte periculum quærit, à quo tamen non poteſt niſi à Deo liberari: vt ſi vellet de Turri per aëra ſine ſcalis deſcendere. Dominum verò tentare non licet, niſi ex diuina inſpiratione, vt fecit Abraham, Gen. 15. qui dicenti Deo ſe daturum terram illam, reſpondit, vnde ſciam, quod poſſeſſurus ſim terram hanc? Alias eſſet peccatum mortale, niſi leuitas materiæ aut inconſideratio excuſarent. Demum ex curioſitate, & ſine neceſſitate Dominum tentare præcipuè circa ſpecialia, ſemper eſt graue peccatum. In ne-

cessirate tamen, vt quando non potest Dei via alio modo manifestari vel speratur ingens aliorum vtilitas in his quæ ad Deum sunt, potest Deus tentari licitè.

DE SECVNDO Præcepto.

Quid, & quotuplex Iuramentum. Cap. 20.

IVramẽtum est * inuocatio diuini testimonii in dicti alicuius confirmationem. Homo namque per peccatum, auctoritatem, & fidem apud homines perdidit, & ideo illi iuramenti remedium Deus contulit, quo ne abuteretur, hoc secundum statuit præceptum. Non assumes nomẽ Dei frustra. Deut. Cap. 5. Inuocatur autem testis Dominus in iura-

mento, quia ipse est summa veritas, quæ nec falli, nec fallere potest. inuocatur explicitè cũ nomine suo appellatur, implicite autem cum per creaturas, & sanctos, quatenus eius sapientia, potentia, & bonitas in eis maxime relucet, & est maius iuramentum quo magis in illis elucet, vnde maius iuramentum est iurare per beatam Virginem quam per alios sanctos. Iuramenti species sunt quatuor. Assertorium, Promissorium, Comminatorium, & Execratorium. Assertorium est, cum affirmatur aut negatur aliquid præsens aut præteritũ. Promissorium est, in quo futurũ certo asseritur, aut negatur, vt faciam hoc per Deum. Comminatorium est in quo pœnæ malum promittitur, vt per Deum castigabo te, Execratorium est in quo aliquid affirmatur, vel negatur, sibi pœnã apponendo vt moriar, si res non

ita se habet. Et similiter si quis dicat per vitã, per caput meũ, &c. nã sensus est ita Deum inuoco, vt nisi ita sit, me illa vita priuet.

An liceat iurare, & quomodo. Cap. 21.

LIcitum est iuramẽtum, si debito modo fiat: est enim præcipuus Religionis actus, fit autẽ debito modo, cum Deus verus ipso iuramento inuocatur (falsos enim Deos, vel Dæmonem inuocare mortale est, & habet tres istas conditiones annexas: Veritatem scilicet, iustitiam & Necessitatem, quas Doctores eliciunt ex Cap. 4. Hierem. vbi dicitur: Iurabis, viuit Dominus in veritate iudicio & iustitia. Iuramentum est verum, & sine culpa, cum homo ita verbis iurat, sicut in corde sentit. alias est peccatum mortale e-

tiam in materia leui, & etiam nii fieret in vtilitatem Reip. Iurare autem falsum in re, quæ in corde & mente vera existimatur, non est peccatum, nisi in tribus casibus: *Primò, quando quis nullam adhibuit diligentiam, vt cognosceret id de quo iurat: * Secundo, si erat de veritate dubius: * Tertio si erat paratus etiam falsum iurare. Tenetur vero quis non solum quod res est, sed præterea etiam secundum aliorum mentem iurare, & vti communi verborum significatione his præcipuè casibus. *Primo cũ quis sponte, & non rogatus iurat. *Secundo, quãdo à superiore iudice, ac iustè interrogatur. nã si de crimine occulto, potest vti æquiuocatione, ita vt dicat nescio, id est, ad reuelandũ. * Tertio, cum etsi à non superiore, sed tamen cum iustitia rogatur, vt quando qui emit, petit iuramentũ à vendẽte veritatis rei, at si coactè,

vel importune extra iustitiam de iuramento requiratur, æquiuocatione vti poterit sine mortali. Immò si Iudex ab aliquo petat, vt iuret num hic aut ille tale facinus admiserit, si tale crimen erat occultum, nec damnosum Reipublicæ, vel hæresis obfirmata, nec Iudex habeat vel vnũ testem, nec aliam semiplenam probationem, non debet iurare, & si cogatur potest vti æquiuocatione. Iustitia item necessaria est, enimuero nemini criminis alterius occulti veritatem licet per iuramentum reuelare. Sicut neque quidquam aliud iurare, quod reuelare peccatum est. Vltimo vtilitas, atque necessitas expetitur. In re tamen leui iurare, solum est veniale, modo absit contemptus, & periculum peierandi ex praua consuetudine. Et hęc de Iuramento Assertorio dicta, ad Promissorium, & Comminatorium, & Execratorium ex-

tendi possunt, debent enim in his quoque inueniri veritas, vnde qui iurat se facturum quod non intendit facere, peccat mortaliter, & iniustitia, & ideo qui iurat se facturũ quod est mortale, peccat mortaliter, & qui quod veniale, venialiter. ac prȩterea vtilitas, cuius tamẽ defectus solum inducit pec. veniale.

De obligatione Iuramenti.
Cap. 22.

IN his iuramentis, promissorio comminatorio, & execratorio tanta est obligatio, vt qui licite iurauit, intentione se obligandi, teneatur sub mortali adimplere, vnde à latronibus etiam comprehensus, si non coactus, verè iurat se eis daturum centum aureos, si dimittant, tenetur iuramento, verum tamen est illum ratione coactionis posse vti æquiuocatione, atque ita sese non obligare, eadem

que est quo ad primum illud, ratio, de illo, qui à custodibus in carcere detentus, discessit iuramento redeundi, nam redire tenetur, si iuste ibi detinebatur, sunt tamen certi casus in quibus homo non tenetur seruare iuramentum, ratione materiæ, vt si quis iurasset se peccaturum, vel de re indifferente. Vel ratione euentus, quia nempe accessit aliquod impedimentum, vt si iurasset se die Veneris ieiunaturum, & postea ægrotasset. vel ire Lauretum, & postea id non posset sine graui suo incommodo temporali. Aut mutatione status, vt cum dominus iurauit se castigaturum seruum, qui postea corrigi est paratus. Vel si id quod iurauit est impeditiuũ maioris boni, vel ratione modi iurandi, vt si quis honoris causa iurarit se non ingressurum primum, vel si is cui iuramentum factum est, illud relaxet, vel denique ali-

quid eueniat propter quod sit melius non adimplere iuramentum quam illud adimplere.

De Iuramenti dispensatione. Cap. 23.

SVperiorũ est in eo quod superiores sunt, iuramenta dispensare, vnde pater dispensat iuramenta filiorum, maritus vxoris, Abbas Monachorum, Episcopus & Papa respectu cleri & rerum Ecclesiasticarum, vt si quis iurasset se daturum alteri beneficium, Papa potest in omnibus iuramentis quæ non sunt contra tertii alicuius vtilitatem dispẽsare ex causa, quamuis possit etiam in illis, in pœnã, vel quando fuerunt ex metu extorta. Episcopus in illis tantũ, in quibus si essent vota posset dispensare in voto, & ideo nõ potest relaxare iuramentum Religio-

nis castitatis, peregrinationis ad limina Petri & Pauli ad sanctum Iacobum de Compostella, & Hierusalem, præterea ipsemet qui iurauit potest suum iuramentum in aliquod apertè melius commutare, quando iuramentum non erat in alicuius tertii vtilitatem. Confessarius autem potest absoluere à peccatis contra iuramenta factis, non autem à iuramenti facti obligatione sine priuilegio aliquo.

DE TERTIO Decalogi Præcepto.

Memento vt diem Sabbathi sanctifices. Cap. 24.

SAbbathum hebraicè, idem est quod latinè, quies, quia eo die filii quidem Israel olim, nunc verò dominica ac cæteris

festis ex præcepto sanctificandis, ab iis operibus quiescere debemus, quæ cæteris diebus exerceri solent, qualia sunt, quæ ex se famulatum quendam habent, & seruilia sunt vt suere, dolare, & arare, aliaque similia exercere. Prohibetur etiam Mercatus, qui fieri solet qualibet hebdomada, non item nundinæ post sacrum; sententia ciuilis, & iudicum stre. pitus, ac notariorum, sententia mortis, & iuramentum iudiciale emptiones, & venditiones particulares, quæ quotidie fiunt & notariis scribere, & iudicibus examinare testes, nisi sit necessitas, vt quia hi alio tempore non possunt haberi. Permittuntur autem sine peccato opera animæ, vt meditari, orare, studere, disputare, legere, scribere, & docere. Quinimo, & aduocato studere super lites, scribere, & informare iudices etiam scripto, etiamsi hæc pro

pecunia fiant, præterea venari, iter facere, audito tamen sacro, digladiari, saltare, pulsare instrumenta musica, itaverò tenentur fideles ad festa, quæ suo præcepto sunt sanctificanda, vt tamen non teneantur conteri de peccatis, contra Scotum qui dixit peccantem die festo bis peccare, & sic necessariam esse festi circumstantiam in confessione explicare: homo namque tenetur quidem ad præceptum, non autem ad præcepti finem, qui est sanctitas ipsius, grauius tamen peccat, qui die festo peccat, vt supra dictum est. Omnes autem fideles die festo sub præcepto sanctificãdo. Missæ interesse sub peccato mortali tenentur. Vt de Consecrat. dist. 1. & iuxta Tol. lib. 6. Cap. 6. & 7.

De peccato non sanctificantis festa. Cap. 25.

NOn sãctificare festa ex genere suo est mortale, nisi leuitas materiæ excuset, vt tondere barbam quia tunc est cõmodum & antea non vacauit. Illa autem opera seruilia, quæ immediatè ad Dei cultum spectant, & non possunt nisi in festo fieri, sine peccato fiunt: vt pulsare campanas, portare cruces, libros in choro portare, & similia. Quæ vero non immediatè ad Dei cultũ pertinent, & ante, vel post fieri queũt, in festo prohibentur, vt panes azimos coquere, Templorum parietes ornare, &c. verum tamen est hoc facere eo tempore etiamsi antea fieri potuissent, per se loquendo non esse aliud peccatum quã veniale. Necessitas etiam corporalis excusat pauperes, qui aliter sibi victum quærere non possunt: nisi laborent, & colonos, cum imminet rei temporalis periculum,

vt tempore Messis, & vindemiæ: quomodo etiam excusantur qui non possunt sua opera intermittere sine magno damno, vt qui vitrum fundunt, milites qui tempore belli exstant aggeres, piscatores si perdant occasionem magni lucri, vt in piscatione Tunorum. Excusantur similiter serui, cum à dominis suis operari coguntur, & qui in vtilitatem Reip. vias sternunt, & alij qui in necessitate, vel habita Papæ, vel Episcopi licentia, vel ob bonum & vtilitatem proximi indigentis, laborant.

LIBER QVINTVS.

De Prȩceptis Secundæ Tabulæ.

De Honore Parentum. Caput. 1.

HOnora patrem tuum, & matrem tuam, vt sis longęuus super terram. Exod. Cap. 20. Sub appellatione patris & matris quatuor clauduntur personarum genera. Primo parentes,

qui nos genuerunt. *Secundò Superiores poteſtatem ſpiritualem ſuper nos habentes, vt Papa Epiſcopi, ac cæteri Prælati. *Tertio Imperatores, Reges, Duces, & Principes mundi. *Quarto loco reponũtur Magiſtri, Tutores, & huiuſmodi, qui omnes vt patres coli debent, & honore affici. Filii tria parentibus exhibere tenentur: amorem, obſeruantiam, & reuerentiam: Amorem quidem externum, & internum, ita vt mortaliter peccent, qui eos odio habent aut malum aliquod notabile corporis aut animæ, iis deſiderant, vel illos grauiter ac ſæpius contriſtant & eſt circumſtantia in confeſſione propalanda, ſi Nauarro credimus. Cap. 14. n. 11. Tenentur etiam ipſi filii eorum neceſſitatibus corporalibus, & ſpiritualibus ſubuenire, adeo, vt qui in neceſſitate iis deſunt, etiam vt Religionẽ ingrediantur, peccent mor

taliter. Et ingressi in necessitate extrema, & grani, egredi tenentur. At si post filii professionem, parentes in necessitatem inciderunt, non tenetur filius nisi in extrema egredi, in qua quidem, etiam post petitam à superioribus licentiam, & non obtentam, licitè egredietur. D. Th. 2. 2. q. 101. 4. Alens. 3. q. 33. Ad hæc, si pater, & filius in extrema fuerint necessitate, filius patri potius, quam filio subuenire debet. Obseruantia similiter parentibus prestanda est, ita vt filius teneatur obedire patri in iis quæ ad bonos mores spectant & ad gubernationem domus, ita vt mortaliter peccet, si contra patris voluntatem indignam ducat vxorem. Reuerentia demum magna eis debetur, vnde qui patrem aut matrem percutit, etiam leuiter, vel illis maledicit, vel aliqua dicit quę ex se prouocant ad magnam iram, vel coram iudice cri-

minali in foro accusat (crimine hæresis aliis periculosæ, & læsæ Maiestatis exceptis) peccat mortaliter. Parentes etiam filios obsequentes, paterna humanitate mutuo diligere, & adamare tenentur, ac iis alimenta, & alia corpori & animæ necessaria præbere debent, quando his opus habent quare nec possunt illos auocare à bono statu complectendo vt religionis, nec ad illum eos cogere.

De obligatione mutua inter virum, & vxorem. Cap. 2.

VIr non debet sine legitima causa vxorē suam ab impletione diuinorum præceptorum impedire, vt ab audiendo sacrum in diebus festis: à confessione, & communione, saltem in Paschate nec grauiter vel exodio percutere seu probro afficere.

animo illam afficiendi iniuria, nã licet ob correctioné liceat aliquãdo dicere verbum iniuriosum, animo tamen iniuria afficiendi non licet, sed debet illã corrigere prout conuenit, prẽterea prouidere gubernationi domus quo ad rem & mores, cum vxore etiam habitare, si causa legitima aliter nõ permittit. Vxor pariter viro suo obedire debet quo ad bonos mores, & domus gubernationem: siquidé velle, viro spreto, suo modo domum gubernare, & rixis virum ad blasphemiã incitare, mortale est. Tenetur etiam ipsum sequi quando ipsam ad cohabitandum vult in aliũ locum, vel in aliam regionem ducere, dummodo ante matrimonium, pactum non antecesserit contrarium, vel ex loci mutatione, vitę discrimen sibi imminere non intelligat, vel peccati mortalis, vel si vir esset vagabundus nec ante matrimonium talis esset.

De Episcopo non consecrato. Cap. 3.

ANte Episcopatus collationé Episcopus potest multis modis peccare, præcipuè appetendo ipsum Episcopatũ: enimuero indignus, & non aptus tanto regimini, qui Episcopatũ vel aliam dignitatem desiderat, nec cogitat dignum se exhibere, peccat mortaliter, & similiter qui illum desiderat propter reditũ vel honorem tãquam propter finem, secus si ab illis simpliciter ad hoc mouetur, & non tanquam à fine. Si quis autem Episcopatum desiderat propter officium, nempè, vt prosit, præcipuè in necessitate Ecclesiæ, seu diuina reuelatione, non peccat. nam vt sic qui Episcopatum desiderat, bonum opus desiderat, & benè: primi autem

non benè, ideo nec sine peccato. In ipsa collatione tripliciter potest peccare Episcopatum amplectens. *Primo. Si est ignarus, & ineptus, aut publicus peccator. * Secundo. Si per simoniam, vel fraudem illum acquirit, vel ante ætatem legitimam, aut sacrum ordinem susceptum antea, per sex menses. * Tertio. Si Episcopatum recuset pertinaciter, Papa præcipiéte, nisi sit ignarus vel inutilis. Post collationé vero illi factam debet intra tres menses consecrari, sub pœna restitutionis omniũ redituũ pro rata illius temporis, nisi vero post sex menses curet se consecrari, ipso iure perdit Episcopatum.

De Episcopo post consecrationem. Cap. 4.

ANte omnia, Episcopo iam cõsecrato necessaria est pastoralis residentia, etiamsi

Episcopus sit Cardinalis. Concil. Trid. Sess. 23. de reformat. c. 1. & sine causa legitima nō residere est peccatum mortale, & tenetur reditus integros pro rata, Ecclesiæ, vel pauperibus restituere. Potest tamen ad breue tempus, vt puta duorum vel trium mensium, vel recuperandæ sanitatis, vel alterius iustę occasionis gratia non residere, sed longior absentia nullo modo permittenda, nisi Christiana charitas, vel necessitas vrgeat, aut euidens Ecclesiæ, vel Reipub. vtilitas, seu debita Papæ obseruantia aliter consulat. Huiusmodi tamen causæ à Papa approbandę sunt, vel à Metropolitano, aut seniore suffraganeo, & in tali absentia summa ope niti debet, ne Ecclesia sua, aliquod detrimentum patiatur. Item, tenetur per seipsum ordines conferre, & confirmationis Sacramentum, singulis annis chrisma conficere, ordines

& beneficia, non nisi dignis conferre, qui etiam beneficia digno relicto, indigno confert, peccat mortaliter, & tenetur ad restitutionem: Quod peccatum committit etiam si digniori relicto, digno tantum conferat, quamuis tunc ad restitutionem minimè teneatur. Episcopus insuper debet concionari, & verbum Dei seminare. Concil. Trid. Sess. 5. cap. 1. & impeditus, alios peritos debet substituere, Synodum Diœcesanam singulis annis conuocare, & Episcopatum visitare, vel saltem maiorem partem, si totum non possit, ita vt biennio totum visitet idque per se, aut per Vicarium, si per se non possit, præterea bonos ministros constituere, mores populi diligenter considerare, & esse vitæ irreprehensibilis, eleemosynas elargiri, subtractis enim iis, quæ ad decentem victum, & frugalem mensam, & consangui-

neorum paupertatem ſubleuandam, ac famulorum ſibi deſeruientium neceſſaria ſunt, reſiduum ſub mortali pauperibus erogare tenetur: quod tamen intelligendum eſt de bonis Eccleſiaſticis, nam de illis quæ de iure hæreditario, aut alio ſæculari titulo poſſidet, non tenetur magis facere eleemoſynam quàm quiuis alius de ſuis. Neque tamen ſi de prioribus non faciat, tenetur ad reſtitutionem cum etiam illorum habeat dominium: grauiter tamen peccat, eademque eſt ratio in re pari de aliis Eccleſiaſticis. Quod ſi Epiſcopus ex aliqua Religione fuerit aſſumptus, ad ea tenetur ſtatuta, quæ illius ſunt Religionis, maximè autem ad vota eſſentialia & ad habitum, obedientiam tamen ad Papam tranſtulit, & quod ad paupertatem attinet eam etiam ſeruare debet, ſeruat autem in quantum etſi vſum bonorum ha-

beat, non habet tamen dominium: ad cętera autem quæ non potest cum suo statu seruare, non tenetur, & in illis in quibus cum religiosus esset poterat superior cũ illo dispensare, potest ipse secum. Non debet ex leui causa excommunicationem fulminare, vti Cõcil. Trid. Sess. 25. cap. 3. sed oues suas sæper ad cõcordiã hortari, & si publicus fuerit peccator, & ad regimen minimè idoneus, debet petita licentia Episcopatum relinquere, & bonis cedere, & si emittat votum simplex religionis tenetur Episcopatum deserere petita licentia à Papa.

De Curato. Cap. 5.

CVrato multa sunt necessaria. Primo. Vt sit legitimus nam illegitimus sine Papæ dispensatione non potest benefi-

cium curatum , nec reditus eiusdem percipere. Potest tamen Episcopus cum illegitimis dispensare, vt obtineant beneficium non curatum. Debet annum saltem vigesimum quintum agere,& post beneficii collationem intra annum si beneficium illud curatum non sit collegiatũ,fieri sacerdos:ac preterea habere animum clericandi alioquin tenetur ad fructuum restitutionem,debet esse idoneus tali ministerio. Ex Trid. Sess. 7. Cap. 3.nec potest retinere duo beneficia curata,sed alterum debet intra sex menses relinquere, alioquiv trũque ipso iure vacat, immo nec beneficio curato pingui, debet addi aliud simplex , nisi in causis ex quibus licet plura beneficia habere,potest tamen vnum alteri addi quando vnum non est sufficiens sustentationi, sed hoc etiam cum facultate Papę fieri debet & non aliter. Tenetur etiam intra duos

menses post collationem, & possessionem acceptam, professionem emittere in manibus sui Episcopi, vel eius Vicarii : in qua iuret publicè obseruantiam Sanctæ Romanæ Ecclesiæ : Concil. Trid. Sess. 24. Cap. 12. Residere tenetur, & celebrare quolibet dominico die, & aliis maioribus festis per se, vel per alium, & quidem pro parochianis & non pro aliis, imo vero & singulis diebus quando beneficium est pingue. Debet etiam saltem diebus dominicis prædicare, & doctrinam Christianam docere, vt idem Concil. monet. Tenetur insuper Sacramẽta administrare, publicos peccatores in parochia quęrere, publica vita corrigere, vel Episcopo manifestare : infirmos visitare, & in necessitatibus occurrere : pręcipuè cum morbo periclitantur, & illis sacramenta ministrare, & ad testamẽtum hortari nam contin-

git aliquem mori,& damnari,qui si sacramenta suscepisset saluus esset: sepulturam etiam sine Eleemosynis pauperibus erogare tenetur,

DE QVINTO Præcepto.

De peccato homicidii. Cap. 6.

HOmicidium est * iniusta hominis occisio: quæ potest quinque modis fieri: facto, præcepto, consilio, permissione, & auxilio. Occidere seipsum, vel membrum sibi abscindere ex deliberatione, est de genere suo mortale, quia est cõtra charitatem, qua quis se diligere tenetur: & contra iustitiam, quia homo non est vitę suę dominus, sed custos, vnde, & si Samson, &

aliquæ

aliquę virgines se ipsas occiderunt hoc ex reuelat. Spiritus Sancti factum est, vt docet D. August. 5. de Ciuitate Dei Cap. 17. licet tamen sibi membrum abscindere in duobus casibus. * Primo ob sanitatis& vitæ conseruationem, ad quodtamen nemo tenetur neo per se nec per alium.*Secúdo ad maius incommodum vitãdum, quomodo Iosephus 2. lib. Belli Iudaici sibi vnam manum abscidit ne vtramque perderet, peccaret verò etiam qui se ipsum occidi permitteret, nisi ob Reip. defensionem, vel amicorum, vel fidei, vel si ob bonum proximi id ageret. Quando quis ab alio iniustè inuaditur licet possit facile illum occidere, potest tam ẽ permittere se ab illo occidi ne ille in peccato mortali moriatur. Item qui damnatus est ad mortẽ, tenetur quidẽ ad omnes actiones quæ disponunt ad occisionẽ, non potest tamen sei psum oc-

cidere, vel ex scala proiicere. Sed neque licitũ est se à iudice defendere, eum vel verberando aut vulnerando, quãuis quis sit innocens, potest tamen cũ quis est in carcere etiam iusta ex causa, fugam arripere, vincula, muros, & portas frangere, modo dãna illa sarciat, & fuga sua damnũ aliis non inferat, neque tamen licet salté ministris Iustitiæ instrumenta ad fugiendũ illis dare, ac similiter qui iustè damnatus esset ad vitam inedia finiendam, si habeat cibos, potest sumere, licet ad hoc non teneatur, sicut neque quisquam ad illi dandum: posset que idem venenum sumere, si ad hoc damnatus iustè esset, sed extra hos casus nemini licet se ipsum occidere, vel ea facere ex quibus mors certo aut probabiliter sequi solet, secus tamen si adesset probabilitas contraria quomodo excusantur funambuli à peccato mortali, quia cum sint in

illa arte egregiè exercitati, proba bile est mortẽ inde nõ secuturam. Innocentem nunquam licet occidere, nisi iuridicè iniustus fuerit probatus. nocentẽ vero etsi liceat occidere, non licet tamen nisi vel authoritatẽ publicã, nisi fortè nocens ille esset tyrãnus sine vero titulo, & inde affulgeret spes libertatis, nec respublica eo posset alio modo liberari. Secus vero de Tyranno qui habet iustum titulum, nam hunc nõ licet sine authoritate publica perimere, ex conc. Cõstant. Sess. 15. ac præterea nisi iusta ex causa, nã graue est peccatũ, ex leui, homine morti condẽnare, ac denique nisi seruato ordine iuris, quo spectat vt nullus vnquã propter crimen occultum, vel morti adiudicetur, vel torturæ subiiciatur, ac nisi accusetur & citetur, nisi fortè in flagranti delicto esset deprehensus. In necessitate tamen licet etiam occidere priuata

authoritate, nempe ad res tuas defendendas, aut vitam propriam vel amicorum tuorum, nisi persona inuadens esset multum necessaria Reipublicæ, quo in casu qui inuaditur, debet potius pati se occidi: sicut & vice versa, si ipsemet esset valde necessarius Reip. inuadens non item, teneretur hunc potius occidere quàm mortem ab illo pati. Sed si neuter esset ita necessarius, posset, vel occidere, vel mortem excipere. Ac demum etsi nobili laico liceat occidere ad honorem suum defendendũ, vel potius ad auertendam notam vel infamiam quã alioquin subiret, (neque enim post contractam iniuriam, liberum est illi occidere, quia iam hoc esset seipsum vindicare authoritate priuata, quod non licet) id tamen aliis non licet. Duellum item prohibetur nisi fiat vel ad pacandos duos exercitus contrarios, vt quando pu-

gna ad duos reducitur, vel cum quis vitæ periculo aggredi duellum cogitur, vt si alioquin ab alio esset occidendus, alias duellum aggredi est peccatum maximę impietatis, & à summis Pontificibus vetitum, atque damnatum, vt supra lib. 1. cap. 41. pluribus est demonstratum, & vide Conc. Trid. Sess. 25. cap. 19.

De homicidio casuali. Cap. 7.

POtest quis præter intentionē alium occidere aliquid agendo, vel etiam aliquid omittēdo, qua in re hæ regulæ seruandæ sunt.* Prima. Qui in actu licito pręter intentionē occidit: peccat magis vel minus, iuxta maiorem aut minorem negligentiā qua vtitur in præcauendo tali effectu: vnde si adhibet omnē moraliter quæ in ea re adhiberi potest & so-

let, pro ratione rei, loci, & aliarum circumstantiarum, non peccat: si autem non adhibet peccat pro ratione negligentiæ. * Secunda. Qui in actu illicito alium præter intentionem occidit, peccat, etiam post diligentiam adhibitam, peccatum tamen illud tantũ solũ est quantum fuit actus ille illicitus. * Tertia. Qui aliquid prætermittit quod ex Iustitia tenebatur facere, si ex eo sequatur mors aliquorũ, peccat pro ratione ommissionis, ita vt tantum sit peccatũ quod admittit, quanta fuit ommissio: & sic peccant Principes cum latrones non comprehendunt. Aduocati qui innocentis iustam causam non defendunt. Medici qui ex ignorantia, vel pigritia, infirmos perire sinunt: parentes, qui pueris arma permittunt, quibus occidunt: & qui in extrema necessitate non succurrunt, vel quibus falso accusatum, suo testimo-

nio non defendum, aut insidias alicui paratas ad mortem nõ manifestant, & hi omnes eiusdẽ peccati sunt rei.

De circumstantiis homicidij.
Cap. 8.

SEptẽ sunt personarũ genera, quas in confessione circa homicidii circumstantias exprimere oportet. * Primo notabiliter consanguinitate, vel affinitate cõiũctos: vt si quis occidat parentes, fratres, filios, &c. Secũdo. Religiosos, & clericos: & hos occidentes, vltra peccatũ mortale excõmunicationẽ ma. incurrũt, vt supra lib. 1. cap. 31. Tertio. Magnos Prælatos, Patriarchas, Archiepiscopos, & Episcopos. * Quarto. Cardinales nõ Episcopos, omnes enim hos hostiliter persequi sub mortali, & excõmunicatione Cœnæ Domini est

vetitum, nisi percutiens sit infra 14. annum, vel sit senex, infirmus, pauper, aut sine graui incommodo non possit ire Romam quia tunc reseruatur tantum Episcopo. * Quintò, Notarios, Procuratores, Aduocatos, Auditores, & Iudices, qui negotiorum causa veniunt Romam, aut ibi morantur. *Sexto. Venientes ad sedem Apostolicam, aut inde recedentes. *Septimo. Illos ex quorũ percussione, vel occisione, alii in re temporali damnum patiuntur, quibus necessario facienda est restitutio. Est alia loci, circumstantia maximè necessaria, vt in confessione exprimatur, vt si fiat occisio in Ecclesia, vel iniuriosa sanguinis effusio ibidem facta fuerit ab homine sanæ mentis, quo euentu Ecclesia polluitur, sicut & per voluntariam pollutionem, etiam illam quæ est ex matrimonio, modo publica sit vel nota multis, &

cum in Ecclesia sepelitur excommunicatus aliquis, vel infidelis, quo euentu radi debent parietes Ecclesiæ, vel cum consecratur ab Episcopo excommunicato. Celebrare autem in Ecclesia pollura, est peccatũ mortale, nulla tamen incurritur inde censura, aut irregularitas, & si ea erat consecrata debet reconciliari ab Episcopo cum aqua ab Episcopo benedicta, sin verò esset tantum benedicta & non consecrata, potest à simplici Sacerdote reconciliari, sed similiter debet aqua esse ab Episcopo benedicta. Demum in confessione est explicandum, si quis per aliu o, vel per se alterum occidit, & quanto tempore ea in voluntate, contra proximi charitatem perseuerauerit.

De intellectu præcepti non occidendi. Cap, 9.

QVatuor præcipuè hoc præcepto prohibẽtur. Primò: Nocumentum quodlibet corporale, vt occidere, mutilare, verberare, percutere, &c. *Secũdo. Omnes præparationes ad prædicta facienda, vt gladium ad occisionem porrigere, inimicum obseruare: & alios ad ei nocendum hortari. *Tertio. Contumelia, quæ est inhonoratio deliberata per verba malum culpę exprimentia, vt fur, mendax, falsarie, & conuitia, quæ ad malum pœnę spectant, vt insensate, cæce, illegitime, quæ quando fiunt deliberatè & animo inhonorandi, & iniuria est grauis nec est inter personas leues ac nullius ferè momenti, semper continent peccatum mortale: secus tamen si fiant gratia correctionis, quomodo interdũ Dominus seruum suum, stultum appellat, ac prætetea cum debito modo nec enim licet cuicunque superiori

iacere conuicia in inferioré perinde ac in seruum. * Quatro. Interiores motus animi deliberati vt mortem velle alicui. Denique eodem præcepto prohibentur quæcunque his duobus carminibus continentur.

Iussio, consilium, consensus,
palpo, recursus.
Participans, mutus, non obstans, non manifestans.

DE SEXTO Præcepto.

Non Mœchaberis. Cap. 10.

MOEchari, & fornicari apud Theoloogos, & Iuristas pro quoliber actu illicito venereo

vsurpari solent. Fornicatio autem est *humanus concubitus illicitus, cuius septem sunt species : simplex fornicatio, stuprum, adulterium, incestus, raptus, sacrilegium, & peccatum contra naturã. Simplex fornicatio propriè est concubitus soluti cũ soluta, & quæ iam amisit virginitatem, est peccatum mortale, quia est contra præceptũ naturale, & diuinum : excusatur tamen in duobus casibus, in amentibus, & ebriis, vt in Loth. Gen. cap. 19. vel cum patiens ad actum cogitur, vt fœmina. Ad hoc peccatũ reducitur cocubinatus soluti cum soluta, & est eo periculosius peccatum, quod cũ perseuerãtia peccatur, seu continuo proposito saltẽ virtuali, peccandi: quare tales non sunt absouendi, etiam in articulo, mortis, nisi concubinas expellant, aut certè eius firmum propositum habeant: & post trinam admonitionem, si non resipiscant, sunt ex

communicandi. Concil. Trid. Sess. 24. cap. 8.

De Stupro, & Adulterio.
Cap. 11.

STuprum est virginis fœminæ defloratio, & est grauius peccatum simplici fornicatione. Obligat ad restitutionem, cum vir coegit virginem, vel importunis precibus induxit in peccatum, aut falsis decepit verbis, & tunc tenetur illam ducere, si promisit, & sit æqualis conditionis, alias tenetur dotare, sicut & si sit coniugatus, vel clericus. Quando autem virgo decepta non est, sed sponte consensit, nulla restitutio illi facienda est, ex iustitia. ex charitate tamen expedit illi aliquid dare. Adulterium est illicitus cum coniugata concubitus, & est grauius peccatum stupro, quia ex eo

maius sequitur legitimorum filiorum damnum. Adultera habens adulterii filios, si habeat bona propria, quibus possit damnum legitimis cõpensare ad id tenetur, tenetur etiam reuelare, si speret se aliquid profuturã ad damnum filiorum legitimorum vitandum, & nullum subsit periculum iacturæ famç, aut vitæ, sin secus non tenetur, vt Caiet. cum Scoto, & Communi affirmat, sed Adrianus, & Sotus dicunt, quod si solam infamiam timet, debet reuelare, præcipuè cum hereditas est magna, v. g. regnum, vel imperiũ. Adulter ad eandẽ restitutionẽ tenetur, sed nõ ad reuelandum. Maritus tamẽ & adulterii filius nõ tenentur credere matri adulteræ, prodenti suũ crimen, sed si hoc filius credat, restituere debet, & hæreditatem relinquere. Adulter perdit ius petẽdi debitum, sed rogatus reddere potest: Adultera potest petere, sed vi-

non tenetur ei reddere ex iustitia.

De Incestu, Raptu, & Sacrilegio. Cap. 12.

INcestus est copula cum consanguinea, vel affine intra quartum gradum, & est peccatum præcedentibus grauius, & quo est maior coniunctio, eo est noxa grauior. Impedit matrimonium contrahendũ sub pœna peccati mortalis sine dispensatione Episcopi si sit cum affine, hoc est cũ consanguineo vxoris vel eius cum qua fornicatus est. sed cõtractum non dirimit, quod tamẽ impedimentum probabilius est non contrahi ex incestu cum sua consanguinea: quibus accedit quod incestuosus cum consanguinea vxoris non possit petere debitum ante dispensationem ab Episcopo, possit tamen reddere. Raptus

quantum ad luxuriæ actum non distinguitur ab aliis, sed addit rapinam rapinæ, quod est peccatum grauissimum, & raptor tenetur restituere raptam. Raptores habentur infames, & excommunicantur à Concil. Trid. Sess. 24. cap. 6. sicut & omnes auxilium, consilium, aut fauorem, ad hoc præstantes, deinde qui rapit alienam sponsam non potest matrimonium contrahere sine peccato si tamen contrahat, matrimonium est validum. Sacrilegiũ est concubitus cum persona Deo dicata, per votũ castitatis, vel inter cõiugatos si in loco sacro fiat, citra finem vitandi peccatum incontinentiæ.

De peccato contra naturam, & aliis uenereis actibus. Cap. 13. & 14.

HVius peccati ſpecies ſunt quatuor. Mollities, Inordinatus concubitus viri & vxoris, Sodomia, & Beſtialitas. Mollities eſt voluntaria ſeminis emiſſio abſque copula, quæ dici ſolet voluntaria pollutio, & eſt triplex. Quædam in ſomnis, quædam invigilia abſque conſenſu, quędam in vigilia cum cõſenſu. Prima quæ in ſomnis fit, vel dum homo ex ſomno iam incipit vigilare, ſi nõ habet ſe cohibendi plenam poteſtatem, non eſt mortale, ſi cauſa mortalis nõ præceſſit, qualis eſſet ſi ante ſomnũ deſideraſſet habere pollutionem delectationis cauſa: nã ſi deſideret tantũ ob ſanitatẽ: vel ad vitandas tentationes, non eſt peccatum, modo tale deſideriũ huiuſmodi non ſit vt reuera ſit inducti uũ pollutionis, quale eſſet ſi eſſet valde intenſum ac practicum potius quã ſpeculatiuũ, pollutio verò peruigil quę ſine hominis con-

sensu accidit, remota causa, & delectatione, à mortali est etiam immunis, sed non ita pollutio volũtaria, seu cuius quis causam dat voluntariè, & cum pleno consensu, siue immediate se polluendo, siue remotè, vt si vescatur rebus calidis, vel certo aliquo situ decũbat vt sequatur pollutio, vel non abstineat à rebus, ex quibus scit solere sibi euenire, quando res illę huiusmodi sunt, vt ab illis propter talem causam teneatur abstinere: non tenetur autem abstinere quaudo res illæ non sunt ex se malæ, vel si ab illis abstineret inde reciperet aliquod nocumentum, vel non consequeretur aliquod bonum, eademque est ratio quando homo consentit in pollutionem iam factam propter delectationem si libere consentiat, nã etiam tum peccat, quando autem quis se polluit, si simul desiderio & imaginatione adhæreat

alicui personæ, simul admittit aliud peccatum eiusdem generis, quod illud esset si vere frueretur tali persona. Ita vero pollutio hęc est peccatum vt nunquam possit licitè fieri, vnde grauissime peccant medici carnalem copulam vel simplicem pollutionem consulentes, & eis obedientes à mortali non excusantur. Inordinatus concubitus est, cum fœmina in copula desuper, aut vir retro (vase tamen naturali non mutato) delectationis gratia accedit, quod est veniale, & si causa debilitatis fiat, vel alterius legitimi impedimenti, nullum erit peccatum, dummodo absit periculum effusionis seminis. Sodomia est peccatum maximũ, sed omnium pessimum est Bestialitas. * Hoc eodem præcepto prohibentur desideria rei venereæ, tactus, oscula, amplexus cũ lasciuia, seu ob carnalem delectationem,

licet copula non intendatur: delectatio morosa etiam si ex actu qui aliàs licuit consurgat, vt puta ex copula coniugali post actum, quia talis delectatio non est licita, nisi in actu ipso coniugali. Delectatio verò carnalis quæ præcisè solum consurgit ex visione formosæ mulieris, vel auditione rerum obscœnarum solum est peccatum veniale quandiu abest consensus & delectatio in rem ipsam significatam per verba.

DE SEPTIMO Præcepto.

Non furtum facies. Cap. 15. & 16.

FVrtum est * ablatio iniusta rei alienę inuito Domino. Nō est sola acceptio, sed ablatio, ablatio enim acceptionem, detentionem, & damnificationē includit. Iniusta, quia si ablatio fiat ioco, vel necessitate vrgente, vel in bonum eius cui res aufertur, vel in pœnā, superiore probante, non est peccatum, vnde nec filii Israel peccauerunt res Ægyptiorum auferentes, nec si quis quod suum est, & sibi debetur auferat, quando

commodè illud iuridicè habere non poteſt, neque n. cõmittit proprie furtum, nec peccatum. Debet tamen prouidere ne indeſequatur vel ſcandalum, aut nocumentum aliorum, vel ne is à quo rem ſuam vel quæ ſibi debetur ita aufert, iterum reſtituat, ac denique ne accipiat aliquid vltra id quod ipſi debetur, quo pertinet vt ſeruus tantum accipiat id de quo conuenit cum Domino, etiãſi alioquin illud eſſet leuius quam quod meritus eſt, modo tamen Dominus nõ adhibuerit illum ad aliud ſeruitium, quam ad ea de quibus inter eos conuenerat: Sin vero nullum fuit pactum merces expendi debet ex pretio quod aliis ſolet dari ob talem famulatum. Furti duæ ſunt ſpecies, furtum ſpecialiter dictum, & rapina. vtrumque mortale, niſi paruitas materiæ excuſet. Notabilis autem quantitas quæ reſpectu cuiuſcun-

que si ei surripiatur, satis est ad peccatum mortale, sunt quatuor Iulii, interdum tamen quarta par vnius satis esset ad peccatum lethale, vt si auferretur à valdè paupere. Deinde peccat etiã mortaliter, qui licet rem parui pretii furetur, accessit tamen animo furandi rem quamcũque, reperisset, vt & qui licet parum furetur, scit tamen ex eo secuturum graue aliquod damnum, vel Dominũ priuatum iri magno aliquo commodo, ac denique qui tot res licet paruę quantitatis furatur, vt magnam exæquent siue ab vnico, illa furetur, siue à diuersis saltẽ quando furi in animo est illa omnia furta facere.

Quid restitutio, & quis ratione rei male acceptæ restituere teneatur. Cap. 17.

FVrtũ ex genere ſuo ad reſtitutionem obligat, eſt autem reſtitutio*actus inſtitiæ, quo vnicuique redditur, quod abeo ablatum vel acceptum eſt. Per ablationem, intelligitur iniuſta acceptio, furtum, rapina, vel quodcunque dãnum in perſona, fama, vita & rebus, & cum quod alterius eſt. iniuſtè detinetur. Per verbum, acceptum, intelligitur actio iuſta habendi, quod eſt alterius, vt per mutuum, cenſum, alioſque iuſtos contractus. Ad reſtitutionem nouem concurrũt, quæ his carminibus continentur.

Quid, quis reſtituet, cui, quantum, quomodo, quando.
Ordine, quoue loco, quæ cauſa excuſat iniquum.

Rurſus quatuor ſunt ex quibus conſurgit reſtitutionis obligatio. Res iniuſtè accepta: res iuſtè accepta, mala actio: & iuſta actio ſeu acceptio. Ad hæc enim qua-

tuor tanquam ad quatuor radices cętera reducuntur. Circa primum datur talis regula. Quicunque habet rem malè acceptam, siue bona, siue mala habuerit fide, ipsam restituere tenetur, sed aliter, & aliter, nam possessor malæ fidei tenetur rem restituere etiãsi perierit: sed possessor bonę fidei, non tenetur si stante bona fide res ipsa periit, vel ea quocunque alio modo priuatus est, aut eam vendidit, postquam tamen scit rem fuisse alienam, tenetur seruare illum indemnẽ cui eam vendidit, & restituere lucrum quod in eo fecit. Rursus possessor malæ fidei non modo rem, sed etiam damnum emergens, & lucrum cessans ex mora restitutionis restituere tenetur. Possessor verò bonæ fidei ea tantum in quibus factus est ditior, & præterea potest vsucapere, & rem ipsam præscribere, ita vt si post tempus secũdum leges requi-

situm tàm ad vsucapionem, quam prescriptionem deprehendit rem non esse suam, non obligetur ad vllam restitutionem, sed possit ipsam retinere. In hoc vero conueniunt tam bonæ quam malę fidei possessores, quod rem alienā si eam à furevel alio emerint, possint eidem restituere & ab eo recipere pretium, vel certe domino, quidquid dicat Nauarrus.

Quis restituere teneatur ratione rei bene acceptæ. Cap. 18.

REs bene accepta, prout ad rem pertinet, quatuor modis haberi potest, commodatione, locatione, pignore, & depositō: & qui his modis habet, tempore statuto impleto, reddere tenetur. Si verò res talis perierit, quatuor in casibus restituere tenetur. Primò Quando ex malitia, vel negligentia morali ipsius haben-

tis, res ipsa periit, vel sublata est, quia eam ad alios vsus conuerterat, vt cum quis equũ locauit pro Mediolano, & Venetias ille proficiscitur, quo in itinere à latronibus expoliatur. *Tertio. Cũ est in mora reddendi alienum & in tali mora res periit. * Quarto. Quando conueniunt dans & accipiens, quod res pereat in damnum recipientis, tunc enim si recipiens amittat, restituere tenetur. Ad hanc regulam rei bene acceptæ, reducitur obligatio restituendi inuenta, quæ si dominum non habent vt quæ in maris littore reperiuntur seu in loco in quo solent generari, sunt inuentoris: si habent, vt quæ in viis, & domibus reperiuntur, domino reddẽda sunt, quo non comparente, post sufficientẽ diligentiam pauperibus ex communi sententia D. D. vnde si inuentor pauper sit, potest ea sibi retinere, nec si postea compareat

dominus, tenetur ad vllam restitutionem si res consumpta sit vel præscripta. Thesauri vero antiqui, si in proprio fundo inueniantur: sunt inuentoris, si in alieno & domini voluntate, dimidiã sibi partem retinebit, alteram domino restituet, si vero nescio domino, totum perdit. Qui vero agrum emit, quia nouit in eo Thesaurum latere, iustè emit, & thesaurum fodiens, poterit sibi illum applicare, S. Th. 1. 2. 66. 5. seruandę tamen sunt in hac re principum leges, in quorum territorio Thesauri inueniuntur.

De tertia radice, quæ dicitur mala actio. Cap. 19 & 20.

MAla actio, aut est contra charitatem, & sic nulla est ab illa restitutionis obligatio, aut contra iustitiam, & sic restitutio est in prȩcepto, vnde qui

Eleemosynam in necessitate non dedit, peccauit quidem, sed nõ tenetur ad restitutionem, sicut nec meretrices, quę ex meretricio pecuniam recipiunt, nisi contra iustitiã, dolo, vel fraude aliquid extorserint, vel plus acceperint, quã quis posset dare, vt à filio familias. Mala vero actio ad restitutionem obligans est multiplex, prima cum quis iniuste alium impedit à consecutione alicuius boni, quod aliàs iuste, & probabiliter erat habiturus: v. c. beneficium, quod deinde non est consecutus, vt si illi crimen imponat, vel occultum aperiat, si tamen probabiliter nõ erat illud accepturus, ad nihil tenetur, sicut neque tenetur quicquam restituere nisi pro ratione certitudinis qua illud erat accepturus vnde si erat certo consecuturus tenetur totum damnum restituere, si probabiliter tantũ, partẽ. Altera est, qua quis iniuste alium damnifi-

cat in bonis animæ corporis, vel fortunæ: vt comburens vineas, vel domos alienas, & quidem qui nocet in anima, vt si quis fraude vel dolo alium falsum docuerit, vel religioso vt egrederetur persuaserit, debet fraudem & dolum remouere, ad nullam tamen aliam restitutionem obligatur, nisi forte monasterio, si ille fuisset illi multum vtilis. Qui vero in corpore, vt qui alium occidit aut mutilat debet omnia damna inde deriuata, in vxorem, filios dominũ, & expensas in medicos soluere. Qui denique in rebus fortunę, debet illas restituere, & damna omnia ac lucra cessantia, siue tale nocumentum per se inferat, siue per suos. Tertia, cum quis aliquid retinet inuito domino, vt fures, & vsurarii, de quibus infra. Hic autem satis sit dicere de cædentibus ligna in alienis siluis: de iis qui feras venantur, aucupantur a,

ues, & piſces expiſcantur. Hæc enim ſi aliena ſint, vel principum, vel particularium dominorum, accipientes peccant mortaliter & ad reſtitutionem tenentur, quod tamen intelligo de feris ac piſcibus quæ capiuntur in locis clauſis ac aquis permanentibus, nam quando aquæ tranſeunt nulla eſt obligatio ad reſtitutionem. Si autem flumina, vel ſiluæ ſunt communitatis, non peccant, & non tenentur ad reſtitutionem, niſi magnam ſtragem edidiſſēt, ſed ſi contra legem comprehendantur & condemnentur, debent ſoluere pœnam. Cum vero feræ, & aues vagantur, & domini non ſoluunt damnum, quod aliis inferunt, poſſunt extra dominorum loca capi & occidi ſine peccato: vti & ſilueſtria animalia, ſecus verò de auibus & feris partim domeſticis, partim ſilueſtribus quæ habent certum domi-

cilium nam illas capere in locis vbi nidificant, vel intra spatium permissum, peccatum est obligans ad restitutionem, quod tamen intellige quando aluntur à suis dominis, nam quando non aluntur, & propterea terras deuastant, nec ille tali damno satisfacit . licite possunt capi.

De Quarta Radice restitutionis. Cap. 21.

VLtima restitutionis radix iustæ actionis vocatur, qua quis mutuo, vel alio licito contractu acceptũ, restituere tenetur. Quæ quidem obligatio non trãsit nisi ad hæredes, & fideiussores ipsius, cum tamen obligatio restituendi ratione iniustæ actionis ad octo transeat personarũ genera, quæ in solidum tenẽtur, scilicet ad eum, qui damnum iussit, qui quod suo nomine factum est, pro-

bauit,

bauit, secus si tantum factum probauit, quod cum factum est, non fuit factum nomine illius, qui ita consentit, vel consilium aut fauorem dedit, vt fuerit causa actionis totius, secus si non fuerit. causa participans, & cooperans, non obstans, cum possit. si tamen ex officio ei non incumbit impedire, peccat quidem, sed non tenetur restituere, sicut nec qui non manifestat. Sed quæritur an quando ratio dandi & accipiendi est iniusta, vt qui pro homicidio iniuste perpetrando, vel sententiabit sta ferenda accipit aliquid, debeat restituere: & respondetur debere, non quidem domino, quia iustum perdidit male dando, sed pauperibus, secũdum Caietanum. Vel dicendum, eum non teneri ad restitutionem ante iudicis condemnationem, vti S. Ant. & Nau. affirmãt. sed posse pro se retinere, & hoc probabilius inquit Toletus.

Quid, & cui restituendum. Cap. 22. & 23.

REs, quæ iusto titulo habetur, vt mutuo, vel locatione, eadem est restituenda, & si eius qui illã habet culpa deterior vel deperdita fuerit, valorem reddet æqualem, secus vero si sine culpa, & illã bona fide possidebat. Qui vero rem alterius male acceptã habet, vltra ipsam rem, fructus rei receptos, & quos feciſſet in potestate domini ac præterea omnia dãna emergentia, & lucra cessantia redder, non tamen eos fructus quos ipse industria sua per illius vsum acquisiuit, quod potiori iure habet locũ quando res bona fide habebatur, vt in deposito: vnde maxime satis erit tunc reddere id in quo forte ea res deterior facta fuisset, vt si quis vas quod habet in

pignore, aliis locet. Vero domino faciendæ est restitutio quando res ab eo fuit accepta: si autē ab habēte illam in depositō, vel locatione, ipsi, aut vero domino, si à latrone, domino potius, vel latroni cum cautione, vt domino scilicet restituat. Quando vero dominus longe abest, & rem ipsius iuste habet, poterit eam conseruare, aut ipsius domini expensis mittet, sin autem iniuste habet, expensis propriis, nisi omnino mitti non possit, & tunc poterit expectari, sed si nulla sit spes mittendi, habenda erit tanquam debitum incertum, vel potius erit restituenda, si possit hæredibus, quod etiam fieri debet quando dominus mortuus est, quod si illi desint post diligentem inquisitionem pauperibus vel ecclesiis. Nec est necessarium, quod horum inuentorum restitutio per Episcopos fiat, nam, & qui habet, vel inuenit, si pauper est, partem:

vel totum ſuis neceſſitatibus ſubleuandis, poterit retinere, & nomine hæredum hic intelliguntur non modo neceſſarii, vt filii & patres, ſed etiam ii quibus non obuenit hæreditas niſi ex legato vt fratres, cognati, quamuis reſtitutio quæ fieri debet ratione iniuriæ vel homicidii, fieri tantum debeat hęredibus neceſſariis inquit Sotus.

Quantum, quomodo, & quãdo ſit reſtituendum. Cap. 24.

QVando damnum illatũ eſt circa ea, quæ ad perfectũ valorẽ nõ adhuc peruenerũt, vt ſeminata deſtructa, vel animalia in tenera ætate occiſa, tantum reſtituendum eſt, quantum pretium in perfectione eorum futurum ſperabatur, deductis expenſis & periculis computatis, quæ vſque ad rei perfectionem interierant, quia tamen ordinarie dominus rei nollet vẽdere talia pericu-

la,ideo,quando damnũ datum est ex malitia plus restituendum est quã periculũ valet,secus verò quãdo casu datũ est. * Quomodo per se videlicet,aut per alium,cui fides adhiberi possit, qui tamen si non restituat sed aufugiat in commodato& pignore,res perit domino, in mutuo vero & quando res debetur ratione acceptionis , perit accipienti, deinde qui in solidum restituere tenetur nõ satisfacit vel partem reddendo.* Quãdo.ratione rei malè acceptæ, vel malæ actionis,restitutio facienda est statim,quãdo vero ratione iustæ acceptionis,debet fieri statuto tempore,vnde qui non restituit quando potest , & tenetur,mortaliter peccat, & toties peccat de nouo, quoties se se offert occasio commodè restituendi,& non vult restituere si tamen ipse aduertat: præterea qui bona dubia de quibus certi non sunt,an sint propria

vsque ad testamentum differunt, dilucidare, nullus tamen res restituere tenetur cum periculo famæ vel notabili propriæ rei vltra debitum, nisi quando creditor ex dilatione solutionis simile detrimẽtum pateretur, sed neque etiam cũ periculo propriæ vitæ, licet creditor esset in eodem periculo (nisi is esset persona Reipub. multum necessaria) nimirum quia talis necessitas inducit dominium rei, secus vero de infamia, vnde si alteruter deberet incurrere infamiam, debitor teneretur ad eam subeundam. In necessitate, iusto vel iniusto titulo aliquid accipiens, cum ad pinguiorem fortunam venerit, restituere tenetur.

Quo ordine, & loco restituendum, sit. Cap. 25.

QVãdo debitor potest omnia debita soluere, nõ est neces-

sarius restitutionis ordo, secus vero, primo; quæ habet apud se ratione rei acceptæ, domino restituere debet, & eo deficiente, pauperibus, inter ea autem quæ debet ratione acceptionis, prius certa ceu quorum domini cognoscuntur quam incerta: & inter illa prius debita licite contracta, quam vsuras. In aliis iura particularia communitatis, vel communia statuta prouinciæ, vel regionis obseruanda sunt, vt primo debita, ad quæ bona debitorum fuerunt obligata. *Secundo, coniugum dotes. * Tertio, quæ fisco, debentur. * Quarto debita ad quæ bona creditorum sunt tacite Hypothecata. * Quinto, deposita perdita in potestate debitorũ. * Sexto ea quæ debentur priuilegiatis seu qui habent priuilegium vt illis soluatur priusquam aliis. Septimo, quæ debentur aliis credi oribus, *Octauo, Vsuræ, Vltimo, bona in-

certa. Eo loco facienda est restitutio ratione rei acceptæ, vbi res reperitur, ratione iniustæ actionis, vbi dominus voluerit, seruando illum indemnem, ratione iustæ acceptionis, vbi ex pacto conuenerũt, quod si expressè non cõuenerũt vbi coram iudice deputato conueniri potest debitor.

Quæ causæ excusant à restitutione. Cap. 26. & 27.

SEptẽ sunt causæ à restitutione excusantes. *Prima, Spõtanea veri creditoris remissio, vel condonatio. * Secunda. Recompensatio equiualens in alia re pecunia æstimabili. * Tertia, Cessio bonorum quæ si non sufficiant, & debitor postea redeat in pinguiorem fortunam, debet quod reliquum est restituere. * Quarta, Vsucapio, & Præscriptio est autem Vsucapio *acquisitio dominii rerũ

mobiliũ per continuatã possessionẽ temporis à lege definiti, quod est triennium. Præscriptionis autẽ decennium inter commorantes in eadem vrbe, inter alios vero, aliquando viginti, aliquando triginta anni, ad vtramque autem vt legitime fiat requiritur * primo continuata possessio per totum illud tempus, * Secundo bona fides, id est vt possideat tanquam suam toto illo tempore, * Tertio legitimus titulus dominium in perpetuũ transferens. * Quarto vt sint rerũ quæ vsucapi aut præscribi possunt, quales non sunt res furto sublatæ, vi possessæ, religiosæ, seruus fugitiuus, homo liber. * Quinta, Ignorantia iuris, & facti, dũmodo non sit crassa, & culpabilis. * Sexta, necessitas quæ multiplex est, vitæ, famæ, libertatis, & rei, nullus enim tenetur alteri restituere rem suam cum iactura aliquorũ ex istis, nisi fortè ea esset maximi cuiusdã no-

menti, vt volunt quidam: debet tamen debitor vt rem alienã restituat si mala fide eam habebat, vel consumsit, descendere ad quamcunque necessitatem, citra extremam, secus tamen quando bona fide, sed tunc saltem debet statum mutare, parciores sumptus faciendo, potest tamen aliquid retinere quo possit mediocriter vitam tolerare. *Septima. Cum quis via aliqua dominium transferente, rem alterius habuit, vt puta ludo à vero domino, sine vi, & fraude: & ita vt vnus alium non notabiliter superaret in scientia ludendi, præterea per sortẽ & sponsionẽ, modo absit fraus quæ interueniret si res esset vni certa, & fingeret dubiam. Quãdo excõmunicatio fertur contra illum qui restituere debet, si non habet vnde soluat rẽ ipsam, nõ excommunicatur, & si lata sit in generali, nõ tenetur corã iudice cõparere, si nominatim, tunc tenetur

ub eadem pœna. Sed nec pariter, qui secreto rapuit sua, quia aliter recuperare nō poterat, incurrit. Ex communicationē quæ fertur contra illū qui talem rem rapuit, nec quando fur est occultus tenetur se prodere, nec illi qui sciunt tenetur manifestare, si tale furtum etiam apud alios sit occultum, sed fur curare debet vt res restituatur.

De Vsura quid sit. Cap. 28.

VSura est *lucrū rei pecuniæstimabilis, ratione mutui principaliter proueniēs. Ex qua descriptione quinque advsurā necessaria colliguntur. Primū, Verum mutuum. *Secundum, Quod sit lucrum aliquod mutuantis vltra sortem, ita vt aliquid acquirat quod antea illius non erat. *Tertium: Quod tale lucrum sit rei pecuniæ æstimabilis, quale non est

amicitia. *Quartum, Quod sit ratione mutui, non damni emergentis, vel lucri cessantis. * Quintū, Quod sit principaliter ob mutuum, nam si sponte, vel gratitudinis gratia aliquid mutuanti detur, non erit vsura, quæ semper est peccatum mortale.

Quotuplex vsura, & de mentali. Cap. 29.

TRiplex Vsura, Mentalis, Exterior implicita, & Exterior explicita. Vsura mētalis est, cum qui hac intentione mutuat, vt ex mutuo aliquod lucrum vltra sortem accipiat, sed talem intētionem non manifestat exterius. Vsura implicita exterior est, cum quis paciscitur de lucro, sed non explicitè. Exterior explicita est, quando pactum fuit expressum. In mētali tria sunt necessaria, primum, intentio aliquid accipien-

di vltra sortem ex mutuo: quam Dominus prohibuit Luc.c.1. Mutuum date nihil inde sperantes. Spes enim ibi pro intētione sumitur, nec sola spes, aut desiderium accipiendi lucrum, satis sunt ad vsuram, sed requiritur intentio id est, vt eo animo mutuet vt lucrum capiat ex mutuo. * Secundo requiritur, quod talis intentio sit acquirendi lucrum ob mutuum, non mutuandi propter amicitiā. *Tertio, quod tale lucrū sit principaliter propter mutuum, non ob gratitudinem. Vsura autem hæc mentalis potest tripliciter cōmitti: ex parte dantis & recipientis lucrum, ex parte recipientis tātum, & ex parte dantis & non recipientis: Primo & secundo modo peccat recipiens, & tenetur ad restitutionem: tertio modo nō peccat, sed cum primum constabit de mente dantis, reddere debet id totum, quo ditior factus est.

De Vsura exteriori explicita. Cap. 30.

AD Vsuram exteriorem explicitã duo sunt necessaria, alterum vt mutuũ intercedat. In quo aliquid vltra sortem accipiatur, cuius defectu qui dat pecunias aureas ad medicinã, vel pro argenteis, & petit aliquod moderatum lucrũ, non committit vsuram, quia id nõ est mutuum; sed locatio, aut venditio, alterum: quod sit pactum aliquod apertum aliquid recipiendi vltra sortem propter utuum: & ex his multi soluuntur casus: nam aliquid mutuans agricolis cum pacto vt teneantur terras suas colere, aut emptori, vt merces ex officina sua emat, vel negotiatori, vt pecunias mutuet, aut capitali indemni seruato det aliquã lucri partem, vel

accipit à principibus in pignus terras, & loca eorum fructificantia, totum mutuum sine periculo cõseruando: vel denique qui dat vno tempore triticũ vt alio quãdo plus valet, tantũdem accipiat, vsuram cõmittit: quorũ omniũ ratio est; quia accipitur aliquid pecunia æstimabile ob mutuũ vltra sortem: potest tamen quilibet fundũ quẽ in feudũ alteri dedit, in pignus mutui ab illo accipere, & gener rem quamuis frugiferam in pignus dotis à socero; & vterque: fructus earũ rerum recipere capitali saluo. Ita. n. iura permittunt sine vsuræ culpa quia leges, & Pontifices hos duos casus ab vsura faciũt ĩmunes

De *Vsura exteriori implicita.* Cap. 31.

SOlet vsura variis modis palliari: & mutuũ in ea occultari. Pri. ratione vẽditionis: vt cũ

fingitur vendi quod non est: ex
xempli causa, ille fingit dare agri-
colæ quinquaginta aureos pro bo
bus, quos non habet, deinde fin-
gie se locare boues pro quadragin-
ta: ista est vera vsura, vel cum quis
vendit rem plus summo pretio
propter expectatam solutionem,
vel vilius emit iusto seu infimo
pretio, propter anticipatam. Ali-
quando occultatur etiam ratione
solutionis, vt cum quis dat alicui
centum aureos post annum red-
dendos, & quia statim reddit, dat
octoginta, petens sibi reliqua vi-
ginti condonari, hæc enim vsura
est, si ratione temporis fiat, secus
si ratione periculi, vel absentiæ il-
lius pecuniæ quæ ratione periculi
minus valet quam præsens, ali-
quando etiam occultatur sub titu-
lo emptionis & venditionis, vt
cũ mercatores expectata solutione
vendunt aliquid summo pretio
& statim illud redimunt præsen-

pecunia

pecunia, infimo pretio. Denique mutuum occultatur sub titulo societatis, vt cum quis dat negotiatori pecuniam hac lege, vt det lucri partem, & pecuniæ integræ maneant ipsi soluendæ, sic vt ipse periculum subire nolit, vt & illi faciunt, qui dant campsori pecunias, lucrum sine capitalis periculo petentes: in eo enim semper vsura reperitur, quia mutuum cũ lucro interuenit.

De causis propter quas lucrum in mutuo exigi potest. Cap. 32. 33. & 34.

QVatuor potissimũ de causis lucrũ aliquod ex mutuo exigi potest. * Primo. In pœnam solutionis, si mutuatarius statuto tempore non soluat, quod tamẽ vt fiat licitè, præter rectã intentionem quæ debet interuenire ex parte mutuantis, quali

est vt suum recipiat simpliciter, non vero vt lucrum reportet, non debet illi esse compertum vel probabile, mutuatarium non futurum soluendo tempore statuto, & præterea, si nulla culpa mutuatarii fiat vt non soluat, nihil debet exigere, sicut nec totam pœnam exigere si partem aliquam soluit, sed prorata, nisi vbi debitum totum fuisset simul soluendum & non per partem, idque ex pacto. "Secundo, Ratione damni emergentis, si damnum sit aut præsens ac certum, aut probabiliter timeatur, sed cum probabiliter tamen timetur non licet de illo toto paciſci, sed tanti de parte: si vero nullum sit pactum tunc tantum licet aliquid ratione damni accipere, quando vel quis dolo ac fraude inductus est ad mutuandum, vel damna illa iam antea formidata, mutuatario fuerunt declarata, quo vtroque euentu tenetur qui mutuum acci-

pit, damna sarcire. * Tertio. Ratione lucri cessantis ex mutuo: Vere autem dicitur cessãs, quãdo hę tres conditiones concurrũt. Prima vt pecunia, quæ mutuo datur, sit negotiationi exposita. * Secunda, vt qui mutuat, non habeat aliã pecuniã extra negotiationem, ex qua mutuare possit. * Tertia, vt lucrum sit probabile. Siue autem quis rogatus, siue sponte & ex charitate pecuniã suã ita mutuet (quidquid magni doctores in contrariũ senserint) parũ refert ad lucrum percipiendum: quod lucrum vt iustum sit cum debeant deduci expensæ, labor & periculum quæ mutuans subire debuisset, vix tertia pars lucri ab eo ex sua negotiatione sperati, debet exæquare. * Quarta cum quis aliquid mutuat tẽporequo res minus valet, illi reddendam alio tempore quo forte accidit plus valere, si id non præuidit mutuans, neque hac intentione mu-

tuauit vt plus acciperet, in rebus, non est vsura: & qui mutuum accepit, debet illi restituere in eadem mensura in qua accepit. Non sic autem in nummis, nam si quis alicui mutuaret centum aureos, quando valent decem iulios, & postea princeps valorē augeat vsque ad quatuordecim, non tenetur qui recepit, reddere centum sed pretium æquiualens: quia in pecunia pretium non differt à re ipsa. * Vltima causa est quando mutuū degenerat in sortem, vt do tibi mille, ea lege, vt si alteruter nostrum moriatur ante decē annos, illa sint tua, aut tuorum hæredum, sin vterque viuat, tenearis mihi mille & quingentos soluere: hoc enim totum licitum est, si libere fiat vtrinque.

Quantum debeat vsurarius restituere, & ex quibus bonis.

Cap. 35.

TAntum debet vsurarius restituere, quantum ex mutuo accepit lucri, & præterea damna illata, lucra cessantia, fructus quos recepit ex re fructifera per vsuram accepta, sed nō illos quos ex rebus infrug feris vsu cōsumptilibus sua industria conquisiuit: nec eos quos ex agro, vel domo à se ex re vsuraria emptis, S. Tho. 2.2. 78. Iam vero vsurarii bona omnia, restitutioni obnoxia sunt, & quidē, ita vt quandiu non plus habet in bonis quā satis sit ad vsuras soluendas, nec ipse res suas alienare possit, nec quisquam ab eo recipere, citra obligationem restitutionis, nisi tantundēre pēderet quantum ab eo ipse acciperet, vt fit in emptione. Si vero plura bona habeat quam necessaria sint ad restitutionem, etsi non possit ea distrahere quę in specie accepta sunt per vsuram, vt quæ quādo nō

sunt vsu consumptibilia, maneant restitutioni obnoxia in cuiuscunque tandem potestate inueniãtur: quod ad alia tamen attinet, quandiu non reddit se impotentem ad restituendum, potest ea distrahere, & quilibet ea sibi ab eo comparare iusto titulo, nec si postea vsurarius non sit soluendo, tenetur hic ea restituere, vxor tamen vsurarii & filii illius qui aliunde viuere non possunt, possunt illius bonis etiam vsura partis sustentari: eademque est ratio de seruis res illorum augentibus, secus de aliis.

Qui obligẽtur ratione vsurae restituere, & quid cũ vsurario agendum. Cap. 36.

NOn solum hæredes vsurarii pro rata parte bonorum illorum quæ ad illos deuenit tenentur restituere, sed e-

iam notarii nisi quando contractus quos conficiunt essent aperte vsurarii, quia tunc sunt apertè inualidi. Præterea vsuras ab vsurariis repetentes, vt Principes, aduocati, procuratores, notarii, testes, proxenetæ, & factores, qui vsurarios defendunt, aut pacta conficiunt, aut alio quouis modo cooperantur efficaciter ad dandum ad vsuram, & exigendum. Iam vero si vsurarius est notorius & publicus, non est absoluendus, nec est ei ministrandum Eucharistiæ Sacramentum, donec restituat, vel sufficientem cautionem det, quibus debet: quod si non possit saltem iuret se non posse, & cum primum poterit se restituturum, secus non debet absolui, ne quidem si dicat se in testamento reliquisse, vt soluantur vsuræ, quia testamentũ est inualidum, & qui talem in loco sacro sepeliret, incideret in excommuni-

cationem Episcopo reseruatam. Quod si vrget mors, debet confessarius licentiam petere reuelandi hæc Episcopo, vt si postea viuat, vsuras soluere cogatur, inquit Toletus: sed si morbus repentinus his non det locum, modo vsurarius det signa contritionis, poterit absolui & sepeliri in loco sacro. Si autem vsurarius sit occultus, & propositum habeat restituendi, erit absoluendus pro prima vice, in secunda expectanda prius restitutio vbi antea nō restituisset, quod si mors instet, etsi melius faceret confessarius si prius curaret eum restituere, ad hoc tamen non tenetur: sicut neque ad petendam cautionem cum licentia manifestandi Episcopo: sed si probabile est ipsius hæredes restituturos, potest, si habeat propositum restituendi, illum absoluere.

De *accipiente ad Vsuram.* Cap. 37.

INducere aliquem ad vsuram non licet, nisi id fiat in commodum alicuius qui est in extrema necessitate, & cui nō potest alio modo succurri: accipere tamen ad vsuram per se malum non est, nam qui petit, solum mutuum petit, vsuram vero non nisi coactus offert, & præbet. Si autem quis sine vlla necessitate peteret, sed ad luxum, & ostentationem, etsi peccaret, venialiter tamen tantum peccaret, modo id fiat citra graue damnum familiæ. Accipere verò ad vsuram ad negotiandum, vt quis inde ditior fiat, an liceat videtur dubium, nam S. Thom. quondam à Florentino de hac re consultus, respondit non licere, sed fortè intellexit S. Doctor de illo, qui abundè aliunde pecuniam habere poterat ad ne-

gotiandum: si quidem alias, & pro se, & pro alio ad vsuram petere, & accipere licet, siue ad negotiandũ, siue ad quiduis aliud. Permittuntur vsuræ, sicut & meretrices, & quidem interdum licitè: peccatum tamen est cogere ad vsuras soluẽdas, sicut & eas exercere: est enim contra ius naturæ, & Canonicum: ex quo etiam vsurariis vndecim statuuntur pœnæ, vt licet videre apud Syluestrum verbo vsura.

De monte Pietatis Cap. 38.

MOns pietatis est quædam pecuniæ summa, aut rerũ pecunia æstimabiliũ, quæ in pauperum refugiũ à Principe, vel Republica recondita peculiari loco habetur, ex quo solet pauperibus gratis mutuari. Huius montis quatuor sunt leges: Prima, vt mutuum, quod datur sit ad bre-

ue tempus, & annú non excedat. *Secunda, quod mutuum non detur niſi ſub pignore, ne pauperes in ſoluendo ſint negligentes in montis detrimentum. * Tertia, ſi infra tempus determinatum non redditur mutuum, vendatur pignus, & detur monti quod illi debetur.* Quarta, vt qui mutuo acceperint, ſingulis menſibus aliquam paruam pecuniæ ſummam monti pro miniſtrorum expenſis ſoluant. Olim fuit diſcordia de huius montis iuſtitia, ſed Leo x. peculiari Bulla in Conc. Lateran. Illius iuſtitiam approbauit; quare mirum eſt de Caiet. & Soto, qui eum impugnant, cum nihil ei lucri accedat vltra id quod habebat: & ſi quid accipitur ſit pro indemnitate, & expenſis, & obligatione mutuandi.

De aliis montibus, qui sunt in vsu. Cap 39.

REperiũtur nõnulli alii mõtes, qui à principibus fundari solent supra quosdam reditus: vt mons farinæ, mons gabellarum vel decimarum, &c. Quorum alii sunt perpetui, vt quãdo summa accepta non potest redimi ab accipiente, nec reditus perire cum vita dantis, sed ad hæredes ius illius transit, qualis est mons salis Romæ à Clem. 7. erectus, in quo septem pro centũ perpetuo dantur. Quidam autem sunt temporales, durante vita illius, qui pecuniam posuit, & eo mortuo, pecunia in monte remanet, & talis est mons recuperationis à Pio 4. institutus, in quo duodecim dantur pro centum. Sunt & alii, qui reddunt decem pro centum, & omnes liciti, quia sunt ad modum

cẽſus vel temporalis, vel perpetui, debent tamen hæ conditiones ad hoc in illis ſeruari. * Prima, vt pecunia montis verè ſupra aliquos reditus reales ſit poſita. Secunda, Quod ſolutiones fructuum non excedant mõtis pecuniarũ, reditus. *Tertia, Vt ſumma quam quis ſingulis annis accipit pro ſua pecunia quam in illum montem principio contulit, non ſit maior, quam tunc ille mons pro ſimili ſumma poſſit reddere, niſi à principio pactum fuiſſet, de certa pecunia ſemper, & quocunque euentu ſoluenda. * Quarta. Quod pereunte monte omnia pereant, cenſus enim non obligat, niſi dum res fundi ſupra quam erat cenſus, maner, niſi pereat culpa accipientis ad cenſum.

*Quinta, Vt in monte temporali plus penſionis detur, quam in perpetuo. "Sexta Quod Principes & Pontifices abſque graui neceſſita-

te huiusmodi montes non erigant. Sunt & alii montes Romæ, in quibus non cessat pensio, etiam mortuo pensionario; potest tamen redimi pensio, & isti dant decem pro centum. Alii autem redimi non possunt. Sunt aliqui, qui huiusmodi pensiones pluris vendũt, quam emerint, & licet: quia iidem reditus, temporibus, & locis diuersis, minus, & plus emi & vendi queunt, sicuti & plus aut minus valent.

De Societate officiorum. C. 40.

SOcietas officiorum, quæ Romæ exercetur, fundatur supra quędam officia, quorũ reditus à Papa certo pretio venduntur, & quia vix vnus reperiebatur, qui tantam haberet pecuniam, qua vnum tale officium posset emere, concessum vni est, vt altero, aut

pluribus adhibitis ſociis, talia officia emat, quibus pro rata reditus diſtribuat. Sunt autem huiuſmodi officia temporalia, & mortuo officiali, ad Papam redeunt, niſi officialis quinque diebus ante, officium alteri renunciauerit. Inſtitiæ verò horum officiorũ duas conditiones appoſuit Paul. 4. *Prima eſt, quod tales ſocietates fiant ſolummodo ſupra officia Romanę Curiæ. *Secunda, quod non admittantur ab officiali ſocii vltra pretii ipſorum officiorum dimidietatem, hæ tamen conditiones non ſunt ex natura rei neceſſariæ, apponi tamẽ nõ debent, quia prohibitæ, ſi tamen ſunt prohibitæ: nam Bulla Pauli iam reuocata eſt per Pium quartum, qui ſolum præcipit, ne ſocii maiores reditus percipiant quam ex officio proueniant. Sed tamen abuſus maximus in contrarium viget, exigunt namque multi eti-

am duodecim pro centum, qui ex officio nunquam haberi possunt, præterea tamen requiritur, vt cum officialis cæteris plus laboret, & sua industria sociis quæstũ faciat, vt maiorem pecuniæ, vel fructus partem recipiat, quam socii. Hic tamen auaritia humana adhuc expleta non est, nam doli, & fraudes aliæ multæ in iis committuntur prout ibi Toletus fusius exponit.

De aliis societatibus. Cap. 41.

SVnt, & aliæ societatis species *Prima cũ multi simul operi & pecunias suas negotiationi exponunt, quæ est licita tribus conditionibus seruatis. *Prima. Vt negotiatio sit licita, & non contra iustitiam. * Secunda, Vt se periculo amittendi capitale exponant, sicut lucrum pariter volunt percipere. * Tertia. Quod lucrum

propor-

proportionaliter diuidatur pro ra
ta, & proportione pecuniæ expo-
sitæ, laborum, & industriæ. Alia
societas est, cum alter pecuniam,
alter industriam adhibet, aut alter
laborem & pecuniæ partem, alter
verò pecuniam tantum: quæ licita
erit, si duo hæc seruentur. *Primũ,
Quod vterque sit expositus peri-
culo amittendi suum capitale, id
est vt qui pecuniam exponit: si
forte pereat, damno ipsius pereat,
qui laborẽ si fortè nihil adueniat
lucri, illi etiam suus labor pereat,
salua alterius pecunia, * Secundò,
quod in lucro diuidendo compu-
retur quantum valeat labor & in-
dustria ac periculum, & quod la-
bor & industria semper perditur,
dum nihil est lucri, pecunia vero
non ita. In hoc verò contractu,
potest & alius licitè interuenire
nempe assecurationis, vt si vnus
socius dato pretio petat ab alio as-
securationem sui capitalis, & lucri.

Quarta ſocietas eſt circa animalia vt cum quis emit animalia, & da curanda aliis, reſeruata ſibi lucri parte, & eſt licita tribus his ſeruatis: *Primo. Quod portio reſerua ta ſit iuſta: debet enim haberi rati laborum, induſtriæ & expenſarū illorum, qui ea curant. * Secundo Quod animalia pereũtia, domin pereant, non curatoribus. * Ter Vt cum abſq. negotiatorũ culp ex animalibus lucrum non per pitur, tunc liberi ſint ſocij à lucr domino reddendo.

De Cenſibus, quid primo ſit ce ſus, & quotuplex. Cap. 42. & 43.

CEnſus eſt " ius exigendi ſionem de re vtili alteri Differt cenſus à locatio quia qui locat alteri domum, tr transfert dominium do us in terum, ſed vſum: & habet ius

gendi pensionem super illam: At qui censum habet super aliquam rem: non habet eiusdem rei dominium sed ille qui ipsi soluit pensionē. Ab emphyteusi pariter differt, nam in hac, quis accipit pensionē de re cuius dominium habet; sed vsus est alteri in perpetuum traditus: Diuiditur primo census in Resignatiuum & consignatiuum: Resignatiuus est, cum quis rei suæ dominium alteri transfert, retenta sibi aliqua pensione fructuum. Consignatiuus, cum quis retento dominio rei, partem fructus in alterum transfert qui census nunc temporis est in vsu. Horum autem quidam sunt perpetui, ex quibus alii redimi possunt, nempe ab eo, qui dat pensionem, si reddat pretium quod accepit, alii non possunt ex pacto. Quidam verò sunt temporales, idque vel ad certum tempus, quo finito cessant, vel ad incertum vt ad vitam alterutrius,

vel ad alium terminum interum: rursus alii sunt fructuarii, de rebus seu fructibus rei super quam est census, alii pecuniarii qui soluuntur in pecunia, qui nũc magis sunt in vsu, & dicuntur hi omnes census reales, quia fundantur in re aliqua fructifera, vt agro, domo, &c.

De emptione, & venditione censuum. Cap. 44.

LIcet profectò vnicuique ius census super res suas alteri vẽdere, vel emere ab altero, vt sacri docent canones. Nempe, quia ius exigendi huiusmodi fructus est pecunia æstimabile, quinimo non modò iam factos emere & vendere licet, sed etiam nouos per venditionẽ, & emptionem cõstituere, neque n. amittitur pecunia sed ius exigendi pecuniam, vel fructus. Et hæc omnia debent intelli-

gi de censu tam perpetuo quã tempori, & tam de irredimibili quã redimibili, idque ex natura rei, seu spectata natura contractus.

De censuum iustitia, & conditionibus necessario requisitis. cap. 45. 46. 47. 48. & 49.

HÆ conditiones in vniuersum requiruntur ad iustitiã Census prout nũc fiunt. *Prima, quod apud venditorẽ verè & realiter sit illa res, signata, & immobilis, cuius fructus venduntur, & illa sola obligata maneat, quamuis possint etiam & reliqua illius bona hipothecari ad maiorẽ securitatem census, modò emptor emat talem assecurationem iusto pretio, & vendens nõ impediatur, ne aliis suis bonis, ad libitum interim vtatur, ac præterea re su-

pra quam est census pereunte fortuito, non sit obligatio ad soluendum censum. * Secunda. Quod talis res verè illos fructus reddat, quorum ius emitur, & non pauciores. * Tertia. Quod si res illa pereat, vel fructus illius, sine culpa venditoris: emptor non possit percipere fructus nisi pro rata, hoc est ex parte, si ex parte; vel ex toto, si ex toto illa perierit. Quarta. Quod pretium sit iustum, habita temporis, ac fructus quantitatis & securitatis ratione, quale illud esse dijudicatur, quod ex lege, vel communi consuetudine est approbatum. * Quinta. Qui censum emit non cogat vēditorem, vt redimat: nam tunc videretur virtuale mutuum: cum autem is reemere, vel redimere voluerit, potest semper etiam per partes.

De Cambio quid sit, & eius speciebus. Cap. 50.

CAmbium est * permutatio negotiatoria numismatis ꝑ numismate. Permutatio enī in genere est triplex: Prisca, rerum cum rebus. * Secunda. Numismatū cum rebus. * Tertia. Numismatis cum numismate, & hæc proprié cambium vocatur, quod est quadruplex. Minutum, cum pecuniæ maiores pro minoribus, vel cōtra, dantur, cum aliquo lucro. Siccum cum campsor dat alteri pecunias in eodem loco post aliquod tempus soluendas cum fœnore, prout alibi valuerint. Per litteras: cum quis dat campsori pecunias, vt eas accipiat alio loco, in quo verò accipit eas, prout tali loco, statuto tempore valent, ad quod campsor dat litteras. Reale; cum quis vere dat in vno loco pecunias, alibi sibi aut socio suo reddendas, cum aliquo fœnore.

De iustitia Cambii ad minutum. Cap. 51.

PEcunia considerari potest & ratione materiæ, & ratione formę & valoris, ratione materiæ potest locari, cõmutari, emi & vendi, vti res aliæ, & aliquid exigi pro iusto pretio, etiam supra valorem legalem. Vt autem est aliarum rerum pretium, non licet in ea legalem valorem excedere, v. gr. aliquid emere augendo legalẽ & ordinarium valorem illius, vt si quis augeret valorem iuliorum, hoc enim obligat ad restitutionẽ, & est per se mortale. Quantum ad permutationem, licet pecunias permutare, vt puta maiores minoribus, & contra: & vltra legale pretium aliquid exigere, pro tali permutatione, & hoc est cambiũ minutum, quod fere omnes doctores admittunt, si desit fraus, &

iustum adsit pretium. Deinde in emptionibus cum miscetur aliqua permutatio absque dolo & fraude, licet valorem legalem excedere, vt, res, minus auro, quam argento soluatur, vt si quis velit sibi in auro solui, potest alius illi alliquanto minus ea de causa dare.

De sicci Cambij speciebus, & eorum pretio Cap. 52. & 53.

CAmbii sicci quatuor sunt species. *Prima, Quando Campsor dat pecunias sibi reddendas in eodē loco, sed prout statuto tempore valebunt in alio distanti, in hoc Cambium iniustū est si Campsor sciat certo, plus ibi valituras, quia tunc est mutuū cū lucro, secus si incertum sit plus minusue valituras. *Secunda, quādo campsor dat pecunias, quę reuera illi soluēdæ sunt in eodem loco in

quo ipse est & eas tradit: non dat tamen, nisi vt soluendas & accipiendas in loco distanti, vt Lugduni, vbi fortè nec pecunias ipse habet, nec respondentes: & in hoc est manifesta iniustitia nisi lucrú quod exigitur, petatur ratione alicuius lucri cessantis. *Tertia, composita est ex cambio & recambio quando dantur pecuniæ v. c. Romæ, vt accipiendæ & soluendæ in alio loco, vbi tamen nec Campsor, nec qui ab eo petit vllas habent, deinde is qui eas à campsore accipit, cum in loco condicto non habeat tales pecunias quas possit ibi soluere, iterum cõuenit cum campsore de illis cambiendis cum nouo lucro Romæ, & hoc cambium est etiam iniustum, nempe, & quia fictum est, cum in eo nulla fit transmisso pecuniæ, & quia continet mutuum virtuale cum lucro. *Quarta est cum datur v. c. Romæ pecunia alibi soluenda: &

quidem si verè alibi soluatur, nulla est iniustitia, modò adsint aliæ conditiones requisitæ, ac nominatim, vt non fingatur periculum vbi nullum est, sic vt ratione illius plus accipiatur; ac præterea vt vbi nulla interuenit culpa eius qui soluere debebat, nihil ab eo amplius exigatur in pœnam, sin vero eodem loco soluenda erat illa pecunia, & locus distans solũ fingebatur, est cambium siccum & iniustum. In vniuersum. a. iustitia Cambii in hoc consistit vt lucrum quod accipitur, accipiatur vel pro transmissione pecuniarum, in locum distantem, quæ transmissio habeat periculum, & ad eam expensæ aliquæ faciendæ sint, vel propter obligationem qua quis paratus est dare & accipere. Ratione autem temporis præcisè, non licet vllum lucrum postulare, vt v. c. quia solutio differtur vel statim fit. Se-

cus tamen si inde oriretur damnū aliquod, vel lucrum cessaret.

De variis speciebus Cambij per litteras. Cap. 54.

QVinque sunt species Cambii. *Prima, Cum Petrus dat Campsori Romæ centum, vt det sibi 95. Venetiis: eiusdē pretii, alios enim quinque cāpsori pro litteris, expensis, labore, relinquit: quod cambium licitum est, modo exigatur tantum iustū pretium. *Secunda, Cum quis dat pecunias, vbi minus valent, vt recipiat, vbi magis valent, pecunię nāque præsentes, magis valent quam absentes, etiamsi illæ alioqui sint eiusdem valoris vtrobique, & maxime si accedat periculum, vnde duplici quasi nomine hoc cambium est licitum, modo pretium sit proportionatum distantiæ locorum. * Tertia, est huic contraria:

nempe cum indigens dat Campsori Romæ pecunias, vbi plus valent, vt recipiat eas, vbi minus; & hoc licet, maxime si pecunia in eadem reddatur specie. *Quarta, Dicitur cambium ad incertam solutionem: cum quis dat Campsori pecunias Romæ, vt eas recipiat ad precium fori, quod primo occurrit, quod modo crescit, modo decrescit, sic enim existens æquale periculum augmenti & decremẽti, pro vtraque parte, licet. *Quinta Dicitur cambium ad creditum. cum nimirum quis pecuniæ onus renuens, dat campsori, vt ipse per litteras teneatur reddere illi vbi constituerit, & vnanimes in hoc consentiunt: quod pariter iustum videtur, Cambia autem hæc possunt fieri etiã intra idem regnum.

De Cambio Reali. Cap. 55.

ILlud vocant cambium reale, quando campsor dat mercatori pecunias in alio loco soluendas, aliquo recepto pretio pro comutatione: quod quidem iustum erit, si nihil ratione moræ, vel temporis, recipiatur, & etiamsi pecuniarum illum valorem exigat, secundum quem pecuniæ in foro occurrenti accommodantur: si fic fuerint datæ. Si tamen cum mora temporis esset lucrum cessans aut damnum emergens, tunc posset ratione horum aliquid amplius accipere.

* * *

DE OCTAVO Præcepto.

Non falsum testimonium dices.

De Iudice. Cap. 56.

IVSTVS Iudex quatuor habere debet: potestatem, veritatem, formam, & vim executionis. * Potestas debet esse vna ex istis. Ordinaria, delegata, arbitraria, accessoria, altera autẽ horũ deficiente, qui se iudicẽ constituit, vel cum aliquam illarum habeat, non tamen in illũ de quo iudicat, peccat mortaliter & tenetur ad restitutionem, vt si v. c. Iudex

ſecularis velit exercere iudicium, in Clericum, niſi in iſtis caſibus. *Primo, Cſi clericus eſt degradatus & traditus brachio ſæculari. *Secundo, Cum Epiſcopus in cauſa ciuili eius rei facit poteſtatem, non autem in criminali. * Tertio, Cum Clericus conuenit ſæcularem coram iudice ſæculari, & reus reconuenit clericum coram eodem Iudice, & hoc tantum in cauſa ciuili, in aliis nam etſi Clericus poſſit ſæcularem coram iudice ſæculari conuenire, ipſe tamen conueniri non poteſt coram illo, *Veritas in eo cõſiſtit, vt dicat id quod res eſt, vel quod exiſtimat eſſe, *ſcientia publica, Iudex enim non vt perſona priuata ſed vt publica, nempe ex allegatis, & probatis, adhibita tamen prius omni diligentia ad veritatem detegendam, in cauſa quidé ciuili debet ſententiam ferre, in criminali verò etiam poteſt, licet per ſcientiã priuatã ſciat eum

qui

qui probatur reus innocentem esse, *forma in ferenda sententia est, vt feratur secundum iura & leges, vt pœnæ quantitas, & alia præparatoria, & executionem comitantia obseruentur,* vis executionis, vt pœnas legis in sontes ferat, quas non potest remittere si sit inferior, si autem princeps supremus, tunc tantum potest, quãdo vel accusator remittit, vel persona est Reipublicæ admodum necessaria.

De Accusatione, & Reo. Cap. 57. & 58.

NEmo tenetur accusare, nec denũtiare peccata iam facta quæ actu non sunt, malefactore pœnitente, nisi præcesserit infamia, vel aliqua probatio, & iuridicè à iudice interrogetur. Cũ peccatum est contra bonum cõmune, seu contra tertiam perso-

nam, in re graui, & est in fieri, seu in proximo vt fiat, tenetur accusare, præmissa tamen fraterna admonitione, quæ non erit necessaria, si delinquens incorrigibilis haberetur, vt in hæretico obstirmato, vel ex ea quis timet sibi aut alii graue malum. In omni verò peccato, siue redundet in damnum Reipub. vel alicuius tertii, seu non tenetur quilibet ex correctionis præcepto delinquentem fraterne admonere & corrigere, si ordo correctionis non speret profuturus, superiori denuntiet fraterna denuntiatione, prout expediens & vtile visum fuerit. Est autem semper necessarium accusatori ad iustitiam accusationis, vt accuset recta intentione, & cum veritate, adhibeat etiam veros testes, vt non præsumatur, sed litem incoatam absoluat. Reus quando à proprio iudice, & secundum iuris formam

interrogatur de crimine supra quo præcessit infamia, aut iudicia, aut semiplena probatio, & hæc iuris forma est in processu probata, & reo indicata, tenetur respondere verum, etiam si mortem sibi inde imminere cognoscat, alias peccat mortaliter. De crimine autem occulto suo, vel alterius, aut si quouis alio modo interrogetur, quã iuridice, nec tenetur nec debet illud manifestare, sed potest dicere, se non fecisse, vti Caiet, & Andr. monent, vel non habuisse tales complices, quod tamen cautè iuxta intentionẽ propriam, non absolutè pronuntiabit. Obediet in cæteris iudici, nec contra custodes insurget, si tamen citra vim possit fugere, licet sit iustè captus, id licitè poterit, etiam carceris, compedum, & catenarum fractione, & licet norit alios fugituros, & custodes damnum aliquod inde accepturos, ipse tamen

omnia damna postea refit[illegible] & catenarum & carceris fractione.

De Teste Cap. 59.

TRia in Teste considerandæ, obligatio, repulsa, & culpa. Obligatur Testis tunc testimonium reddere, cum crimen redundat in damnum cómune, vel priuatę personæ, & non est emendatum, sed adhuc fit, licet iuridice non interrogetur. Cum vero crimen est iam commissum, & emendatũ, nullus nisi iuridice interrogatus, respondere tenetur. Sciens autem aliquem iniustè pati, tenetur prębere testimonium innocentiæ illius, etiam non rogatus, dummodo cognóscat aliquid se profuturum, & nullum detrimentum timeat. * Repulsam pati potest testis, si infamis sit, vnde contrarię parti licet aperire defectus etiam occultos illius, vt se defendat, dũmodo veritas dicatur, & ea tantũ

crimina publicétur, quæ testimonium aduersariorum infringere possint, & ex declaratione talis criminis, non obueniat testi multo maius damnum quam parti.* Culpa testis est falsum testari, & est culpa lethalis obligans ad restitutionem, & tenetur se retractare si alter sit in graui periculo mortis, vel infamię, licet ad hoc mors ipsi obeunda esset. Quod si credens verũ testificatus est falsum, quod postea falsum deprehendit, si speret se aliquid profuturum, debet id iudici denuntiare, sin minus, saltẽ parti in cuius fauorem testificatus est vt veritatem cognoscens sartiat damna si sit opus. Si autẽ pro falso pecuniam accipiat, eam reddere non tenetur, secus pro vero, cũ sine pecunia semper illud manifestare teneatur.

De Aduocato. Cap. 60.

ADuocatus in pauperum causa gratis patrocinari tenetur, & in necessitate, sub mortali. Debet causam iustam, vel quam iustam existimat, defendere nam si falsam, & damnum resarcire, & expensas reddere tenetur, clienti quidem suo, si eam perdidit, parti vero aduersæ, si obtinuit. Dum causa est dubia potest patrocinari, iniustitia autem illius cognita debet desistere. Non tenetur tamen, falsitatem, parti contrariæ aperire, nisi ad euitandum grauissimum illius incommodum, & quod hic dicitur de causa dubia, debet etiam intelligi de ea quæ aliquanto minus iusta apparet, modo non sit planè iniusta, & sit ad reum, vel actorem qui notabile damnum patitur defendendum,

tunc ergo licet quoque defendere causam minus iustam, sicut & in rebus non ita magni momenti, prius admonito cliente de conditione causæ: secus verò quando contraria pars pateretur graue illud incommodum. Tenetur scire quæ ad suum spectant officium defectu cuius obligatur ad restitutionem damnorum: & præterea fideliter aduocati patrocinium pro iusto pretio præstare, quod pretium expendi debet ex grauitate causæ, labore, & dignitate aduocati. De aliquot a parte causę cuius victoria speratur, paciſci potest nunquam cũ suo cliente.

De Notario, & Procuratore.
Cap. 61. & 62.

Fidelitas, sciẽtia, & iustitia sũt in Notario necessaria: tenetur enim iste omnia scire, quę ad suum spectant officium ex

quorum defectu tenetur ad restitutionem damnorum inde secutorum : vt scilicet instrumentum fiat ab eo tantum , qui est mentis compos: præsentibus testibus sufficientibus: signet diem & annum, nullam contineat falsitatem, & illud non tantum in protocollo habeat, sed etiam in registro, probè, & ad longum conscriptum. Non debet illud occultare petentibus, aut indigentibus, quibus illud implere incumbit: sed vltrò illis etiam manifestare vt illud impleant, maximè si contineat legata, & si cessent, aliis quibus ea facta sunt, vt persequãtur ius suum. Iustus sit in pretio exigendo, ita vt non plus exigat quam oportet, & in iis tantum rebus in quibus id licet, non potest enim quid quam accipere pro negotio ordinationis, nec pro dimissoriis, aut testimonialibus, nisi (vbi ad hoc non habet salarium ab Episcopo

decimam partem aurei, ac præterea vt nullum instrumentum prohibitum faciat, quale est vsurariũ instrumentum, vel probibens vsuras repeti, alias peccabit mortaliter, & excommunicationem Episcopalem incurret. Procurator similiter scientiam habeat necessariam, diligenter inuigilet, veritatẽ colat & sinceritatem, & non nisi causam iustam, ac pro iusto pretio defendat. Lites præterea, quas primò defendendas suscepit, prius absoluat, quàm alias plures acceptet. & quàm possit benè tractare, & post victoriam vltra pretium, auctarium, seu strenam, nec recipere, nec petere, debet.

Quid Detractio, quotue sint detractionis modi. Cap. 63.

DEtractio est *ablatio famę p verba, cũ intentione nocẽdi.

Vnde ille detrahere dicitur, qui alteri bonam famam aufert, quam habet apud homines. Per verba intelligi debent etiam signa, nutus, scripturæ, & libelli famosi, seu infamatorii. Item taciturnitas, quando loquendi est tempus, vt aliquid approbet, vel proximi famam defendat, ablatio famæ saltem virtualis dici potest. Requiritur autē semper, vt hæc dicat, vel faciat cū intentione nocendi, idque diserte seu expressè, vel implicitè, vt qui ob ludum vel iocum non curat alterius famam auferre. Modi detrahendi sunt octo, quos explicat S. Thom. 2. 2. q. 73. Quatuor circa malum, & quatuor circa bonū, qui his carminibus continentur.

Imponens, augens, manifestans, in mala vertens;
Qui negat aut minuit, tacuit, laudatúque remisse.

De peccato detractionis quale sit. Cap. 64.

ESt peccatum mortale, quia contra iustitiã, & ex suo genere peius furto, & eo periculosius, quo communius, vnde scriptum est: cum detractoribus ne commiscearis. Ex leuitate materiæ potest esse veniale, pensanda autẽ est leuitas materiæ, ex tribus, primo ex quantitate ipsius infamiæ, vt si ea leuis sit, secundo ex qualitate personæ diffamatæ, interdum enim peccata grauia imponere, vel reuelare de quibusdam personis, non est mortale, vt ream veneream de quibusdam iuuenibus, homicidium de milite, nẽpe, quando res tales non ducunt dedecori, sed potius de illis sese iactitant, & tertio ex parte personæ apud quam quis detrahit, grauius enim est apud virum grauem detrahere

quam alium, & apud multos, quàm paucos. Potest etiam esse veniale, si fiat absque intentione nocendi, vt ex ioco tantum, modo tamen inde non oriatur re ipsa notabilis infamia, quàm detrahens potuerit præuidere, vel si desit deliberatio & aduertentia sufficiens, vt cum quis ex vehementi ira alterius crimen detegit, nam etiam tunc est tantum peccatum veniale sic detrahere.

De Resolutione aliquorũ dubiorum circa famam. Cap. 65.

MAnifestare crimen alicuius quomodocunque infamati intentione nocendi, est peccatum contra charitatẽ. Deinde peccat contra charitatem & iustitiam cum obligatione restituendi, qui alicuius crimen publicum etiam propter iudicis sententiam, postquam bonam famam

recuperauit, manifestat, sine legitima causa, qualis esset ad vitãdum nocumentum corporale, aut spirituale, alicuius siue particularis, siue communitatis, vt si quis vulgo habitus bonus homo, alio tamen in loco damnatus furti vel hæresis, versaretur inter aliquos, quibus periculũ esset ne noceret in bonis corporis, fortunæ, vel animæ, nam tunc liceret illis significare qualis ille fuisset vt ab eo sibi cauerent, eademque esset ratio, si aliquis eligendus esset ad dignitatem aliquã publicam, ab iis, qui eius incapacitatem ignorant, vnde etiam tunc liceret eam illis aperire. Si verò nondum bonam famam recuperasset, non esset peccatum contra charitatem, nec contra iustitiam, in eadem vrbe ignorantibus, manifestare, quod fecit. Manifestare a. in aliis locis longè distantibus, vt per litteras crimẽ alicuius de se publicũ, vel per iudicis sententiam

quo non peruenerat nec peruenturum erat, & est contra charitatem, & ideo illicitum: & esset contra iustitiam, si inde damnum aliquod famæ in consanguineos, vel aliud corporale, in ipsummet diffamatum redundaret.

An quis seipsum infamare possit Cap. 66.

CAietanus negat licere etiam in tortura se infamare, quod tamé Sotus; & Nauar. affirmare videntur. Certum tamé est, inquit Toletus: *Primo non esse contra iustitiam seipsum infamare, nisi inde nocumentum aliquod in alios deriuetur. *Secundo se infamare sine causa esse contra charitatem, & mortale quando quis sibi falso imponit crimen grauissimum, vt hæresis, secus si tamé occultũ reuelaret, vel crimen non esset ita graue, & abesset periurij

*Tertio posse quemlibet in tortura positum, etsi iuridice non interrogetur, reuelare crimen occultum sui complicis, non posse tamen reuelare illud secretũ, ex quo sequitur damnum publicum, neq; quidquam eorum quæ in confessione, aut per confessionem accepit. Ac postremo eundem in tortura constitutum, posse manifestare suum crimen verum, etiamsi non interrogetur iuridice, nec aliud inde damnum sequatur, quam infamiæ propriæ. Ac præterea posse etiam citra mortale, fateri crimẽ sibi falso impositum pro cuius confessione torquetur, modo absit periuriũ & crimen illud non sit hæresis, & nullum aliud damnum sequatur quam infamiæ & vitæ ipsius, nec confessarium debere illum adigere, vt iterum verum dicat, nequidẽ si hæresim sibi imposuisset.

De audiente detractionem. Cap. 67.

ET detrahens,& detractori cõ sentiens, grauiter peccant;& mortaliter quidem, si audiés ex odio consentiat, vel directè ad detrahendum inducat, si quis autẽ ex otiositate, aut vanitate delectetur in detractione, peccat solum venialiter, quãdo damnum quod inde deriuatur in personã, de qua est detractio, non est graue, & nisi delectari sit virtualiter consentire, vt in superiore eius qui detrahit seu qui ex iustitiia debet illum impedire. Non peccat verò ne venialiter quidem qui detrahentem audit nec corripit, quando ex timore id facit, quia ab eo sibi ipsi malum · nisi quando malum illud esset, multo leuius quam damnum, quod inde euenit ei, de quo is detrahit: vel certè id o-

mittit

mittit ob reuerentiam, quia persona est grauis, vel quia putat probabiliter se nihil profuturum.

De restitutione famæ. Cap. 68. & 69.

QVi alteri famam contra iustitiæ ordinem vere abstulit, peccauit & tenetur restituere, nisi persona diffamata rursus alio modo famam recuperauerit, vel condonauerit: quam tamen persona publica condonare non potest, nec quãdo infamia fuit de hæresi. Quatuor autem sũt modi auferendi famã: & quatuor restituendi. *Primo tollitur falsum imponendo, & tunc qui abstulit, restituere tenetur, dicendo se mẽtitum fuisse. *Secundo. Aufert verum crimen, sed occultum, manifestando: & tunc restituet dicendo se male: & contra charitatem locutum fuisse. *Tertio. Negando

peccatum coram iudice, quod a
alio vere, ac iuridicè illi tribuitur
& tunc si iuridice conuictus fuit
veritatem fateri tenebitur, & fa
mam accusatori restituere, si vero
defecit accusans in probatione
non erit necessarium famam re
stituere iniquo accusatori, peccau
tamen verum negando. Quar
to, Manifestando alterius crimen
indi rectè, seu imperfecte: vt
quis dicat se ab alio illud audiu
se, & sic quamuis Scotus & & Ca
iet. dicant non auferri famam, op
timum tamen est Soti consiliu
vt eo modo restituat, quo abstu
lisse creditur.

*Resolutio quorundam dubior
de famæ restitutione.* Ca. 70.

TEnetur quis etiam cũ pro
priæ famæ detrimento al
enam iniustè ablatam resti
uere, & aliquando cum maiori

suo damno, quam sit alterius famę amissio: dummodo qui abstulit non sit vir illustris: nam hic alterius illi multo inferioris etiam eo inuito famam pecunia resarcire potest. At si infamatus vitæ periculum subeat, is qui abstulit, eodem periculo restituere tenetur: secus verò quando alter solum patitur damnum in fama, aut bonis externis, nisi infamia illa valde notabilis esset. Quando autē duo se inuicem infamarunt, vt milites & mulierculæ consueuerunt, si æqualis sit infamia, quamuis vterque peccauerit, nulla est obligatio restitutionis, altero tamen reddente, & illi alter pariter restituere tenebitur.

DE NONO præcepto.

Non concupiſces rem proximi tui. Cap. 71.

HOc præcepto Auaritia præcipuè prohibetur peccatum. Eſt autem Auaritia "appetitus de uitiarum voluntarius & immoderatus. Dicitur "appetitus inordinatus, quatenus est contra iuſtitiæ, charitatis, liberalitatiſque regulam. Et quidem, quando quis habet aliena bona, vel eadem modo illicito vult retinere aut appetit, quæ ſibi non conueniunt, nec illi dari poſſunt, vt beneficia, officia, &c. quia illis est indignus, peccat contra iuſtitiam

Quando verò quis est sic suis rebus intentus, vt etiam in necessitate, proximo subuenire nolit, peccat contra charitatem, si autem extra necessitatem, & de propriis, & superfluis, alteri nolit subuenire, est contra liberalitatem: sed duo peccata priora ex genere suo mortalia sunt, hoc verò frequétius veniale.

Quid Gabella, & quotuplex. Cap. 72.

GAbella est " tributum publicum à Principe in communem vtilitatem exactũ: & est quadruplex. Vectigal, quod dicitur à vehendo, quia ex mercibus quę in ciuitatem inuehuntur, soluitur: quod & portorium vocãt, quia in porta ciuitatis soluitur. Est et Guidagiũ, quod pro viæ ducatu solui debet, vt homo scilicet tutũ à latronibus iter habeat. * Tertia est

gabella[defectu namque nou-
nis, commune particulari applica-
mus] quæ soluitur ex iis, quæ
ciuitate venduntur, & emuntur.
Quarta, est Tallia, quæ est sum-
ma quædam pecuniarum, quam
Princeps aliquando pro occurren-
tibus necessitatibus exigere solet.

De iustitia exigentis vectig-
Cap. 73.

CIrca primam Tributorũ
ciem, quatuor necessa-
requirũtur. Primũ, vt sit
sita ab habente auctoritate
nẽpe á Papa, Cõcilio generali,
Imperatore, Regibus, vel Prin-
bus Italiæ, qui in temporali
subduntur, ita vt si alii præter
los vectigalia exigant pecc
mortaliter, & excommunicen
in Bulla Cœnæ. Secundum est,
de mercimoniis tantum exig-

non de iis: quæ in proprium vsum inuehuntur: de his enim vectigal exigentes peccant mortaliter,& excommunicationem Cœnæ Domini incurrunt, vt supra lib. I. cap.29. Tertium, ne sine Papæ licentia alii Principes à Religiosis exigant ex rebus ad eorum vsus necessariis, secus de mercibus. Quartum, quod gabella sit moderata, ita vt non excedat tertiam partem octauæ patris mercium, ex quibus exigitur, vectigal verò 24. patrem

De iustitia exigẽtis Guidagia. & Tallias Cap 74

GVidagia nullus Princeps deberet exigere, namipso iure statũ quisque suũ â latronum incursibus tutum habere tenetur,quod si imponat, nec tamen prouideat periculis viatorum, tenetur damna in quæ

illi incurrunt sarcire: præterea gui dagia illa debent esse moderata, & à supremis principibus tantũ exi gi, sicut & pedagia, nam quod attinet ad primam speciem gabellæ, potest imponi etiam à Dominis non supremis, debent etiam habere alias circumstantias, de quibus capite præcedenti. Tallia autem non est imponenda nisi ob publicam vtilitatem, & in graui necessitate, qua cessante, ipsa quoque cessare debet. In qua præterea hoc seruandum est, vt qui pauperiores sunt, ab iis minus exigatur.

De iustitia soluentis gabellas.

Cap. 75.

DE fraudãtes gabellas, pœnali lege positas, soluere nõ tenentur ante iudicis sententiam, & iniustas non soluentes non peccant, nec ad restitutionem tenentur. Sunt autem iniustæ

quando desunt conditiones supra positæ; quando verò sunt iustæ debent solui, eademque est ratio quando certum non est esse iniustas, & qui secus facit tenetur ad restitutionem. At parati soluere sine fraude, si non soluunt quia ab exactoribus non exigũtur, & mos est, vt exigantur, non tenentur ipsis exactoribus offerre, præcipuè si parui sint momenti, aut eorum iustitia dubia.

Quid beneficiũ, & quotuplex, & qui conferant. Cap. 76. & 77.

BEneficium est ius percipiendi fructus ex bonis Deo dicatis, clerico propter diuinum officium competens. Et est quadruplex: quædam quæ habent animarum curam, & iurisdictionẽ exteriorem vt Episcopatus, & aliquæ Abbatiæ, ac Prioratus. Quędã

quæ neutram habent, vt beneficia simplicia & Capellaniæ. Alia habent quidem iurisdictionem, sed non animarum curam. Quarto loco sunt, quæ curam animarum habent, sed non iurisdictionem, vt beneficia curata. Beneficium & præbenda differunt, nã illud tantum clerico, hæc etiam laico datur, qui Ecclesiæ inseruit: vel est pauper, aut de Ecclesia bemeritus. Papa confert beneficia de plenitudine potestatis. & vbique terrarũ, Ordinarius de iure beneficia suæ Diœcesis, nisi in contrarium, statutum vel consuetudo aliqua extet, Capitulum verò per se quando ordinarius est suspensus, vel excommunicatus, vel sede vacante beneficium iuris patronatus, vel quod solebat cum Episcopo conferre, vel si habeat eius rei priuilegium aliquod. Datur autem beneficium quatuor modis, Collatione, Resignatione,

Electione, & præsentatione, ex quibus prior ad superiores personas tantum pertinet, alii etiam ad alios.

Quomodo quis alteri debeat dare beneficia. Cap. 78.

CONferens beneficia aliquo dictorũ modorũ, duo obseruare debet; primũ, vt det gratis, & absque pretio alicuius rei pecunia æstimabilis, alias esset simonia. Alterum vt det iustè, & digno, id est sanctis moribus instituto, atque ad tale officium exercendum idoneo, alioquin peccaret conferens, & ad restitutionem teneretur Ecclesiæ faciendam: Nec sufficit digno dare, si dignior adsit, nisi beneficium sit patrimoniale, aut ex propriis bonis constructum: tunc enim sufficit vt digno detur, altero digniori relicto: sed nec quando in aliis da-

tur digno, digniori relicto, est vlla obligatio ad restitutionem, sed tãtum peccatum acceptionis personarum ibi interuenit.

De accipiente beneficium, & an plura recipere liceat. Cap. 79. 80. & 81.

NVllus beneficia iustè accipere potest, qui has iuris conditiones non habuerit. *Prima, vt sit Clericus, habens saltem primam Tonsuram. *Secunda vt sit legitimo matrimonio natus. *Tertia, quod debitam attingat ætatem, Episcopus annos 30. Curatus 25. Conc. Trid. sess. 23. c. 6. Clericus beneficiorum simpliciũ, 14. * Quarta, vt careat iuris impedimento, i. excommunicatione, & irregularitate. * Quinta, vt sit scientia, probitate, & aptitudine præditus sufficienti. *Sexta, vt aliud beneficium non habeat: nam

plura habere beneficia de se malũ est, dist. 89. c. singula. Ante Concil. Trid. erant sex casus, in quibus plura retinere beneficia licebat, sed post, duo sunt tantum relicti. *Primus, quando simplex ratione exigui fructus Curato vnitur. * Secundus, quando ob eandem causam vni plura simplicia dantur: quare nunc vnus & idem, nec plures sedes Episcopales, nec plura beneficia curata, aut residentiã requirentia, vt sunt quæ iurisdictionem aut chorum habent, neque etiam plura simplicia quando vnum ad sustentationem sufficit pro ratione personæ, loci, & temporis habere potest. In parochiis verò que annexæ sunt Canonicatui, idem Concilium vult, vt Episcopus Vicarium perpetuum constituat, cum tertia parte fructuum. Cum dispensatione tamen Summi Pontificis ex causa legitima, qualis est quę est in vtilitatem

Ecclesiæ, qui plura beneficia habet quæcunque illa fuerint, tutus erit & in cõsciẽtia, & in foro exteriori.

Quid Pensio, & quotuplex. Cap. 82.

PEnsio est ius percipiendi fructus ex alieno beneficio. In beneficio autẽ sunt duo, dignitas ecclesiastica, quæ titulus vocari solet. & ius percipiendi fructus ex bonis Deo dicatis, & hoc à priori separatũ dicitur Pensio, & qui hoc ius habet, vocatur Pẽsionarius. Pensio triplex, tẽporalis spiritualis & media. Tẽporalis datur etiam laicis militi, ac duci pro Ecclesia militantibus & aliis Ecclesiæ negotia tractantibus. Spiritualis datur Concionatoribus, Parochis, & Sacristis, &c. Media verò, ob resignationem, & cessionem beneficii. Hæ autem pen-

siones á beneficio differunt: nam habens beneficium, tenetur singulis diebus horas canonicas recitare, non potest beneficium vendere, nec commutare pro pretio temporali, quamuis possit cum altero beneficio, vel dignitate spirituali, & si vxorem ducat, perdit beneficium. At Pensio temporalis, non obligat ad horas: potest vendi pro re temporali, non autem cum beneficio commutari ecclesiastico, nec per matrimonium perditur. Pensio spiritualis ad horas non cogit, sed tantum ad ministerium propter quod datur, non potest vendi, nec redimi. nec cum beneficio commutari, & per matrimonium perditur, si ministerium illud non possit cum matrimonio consistere. Pensio media, ad horas non ligat, sine Papæ licentia non potest vendi, qui tamen habet beneficium, redimere eam potest á pensionario si ipse velit, ei

soluendo pensionem quinque annorum non potest cõmutari cum beneficio, & iure ipso perditur per matrimonium, licet alicubi consuetudo sit in contrarium, sed perperam, & tales pensionarios obligauit Pius V. ad recitandas horas B. Virginis.

Quomodo licitè pensio recipiatur. Cap. 38.

AD pensionem, vt licitè possit percipi, tria requirũtur. *Primum. Papæ dispensatio, quam nullus alius prælatus dare potest. *Secundum, Causa legitima. Papa namque non est bonorum Ecclesiæ Dominus, sed dispensator: ideo si nõ adsit legitima causa, pensionarius non est tutus in conscientia, causæ autem huius rei legitimæ plures sunt. Prima quando aliqui de beneficio litigãt & interim Ecclesia priuatur mini-

stro

ſtro, nam tunc beneficium datur habenti maiorem iuſtitiæ rationẽ, penſionem alteri aſſignando. *Secunda, in beneficiorum permutatione, in qua qui habet pinguius dat ex diſpenſatione penſionem illi, cui minus pingue contingit. *Tertia cauſa eſt miniſterium aliquod temporale eccleſię exhibitũ. *Quarta, miniſterium ſpirituale. *Quinta, vt detur de eccleſia benemerito, vt magiſtris & concionatoribus. *Sexta vt ſtudentibus & futuris miniſtris eccleſiæ, vt prępararentur. *Septima Paupertas laicorum, cui tamẽ illa clericorum præferenda eſt. Demum cauſa penſionum debet eſſe pia, & in commodum Eccleſiæ. Modus autem in illis etiam requiritur, nempe vt nõ ſint nimis pingues, & tertiam beneficij partem ad ſummum non excedant, ac deinde vt non ita cumulentur penſiones eidem, vt hominis decentem ſuſtentationem

excedant. Vnde turpis abusus videtur in multis, inquit Tolerus, qui supra conditionem & merita pluribus onerantur pensionibus,

Quid sit simonia, & quale peccatum. Cap. 84. & 85.

SImonia est "studiosa voluntas contractandi pretio rem spiritualem. Spiritualia sunt in quadruplici differẽtia, quædam essentialiter, vt virtutes & dona Spiritus sancti, quædam causaliter, vt septem Ecclesiæ Sacramenta, Aqua benedicta, Cathechismus, Exorcismus, & Chrismatis consecratio, quæ sunt causa prædictorum. Quædam effectiuè, vt concionari, cãtare in choro, sepelire mortuos, &c. quę sũt operationes à spirituali potestate procedentes, & in Deo ordinata. Alia ex quadam connexione, cum rebus spiritalibus, qua

rum alia ad officium ſpiritale ordinantur, vel ab eo dependent, vt beneficia eccleſiaſtica. Quædam ad ſpiritualia præparant, vt vaſa ſacra, veſtes, candelæ benedictæ, cãpanæ, &c. nihil ergo horum licet aut emere, aut vendere, aut vllo modo contractare, pretio æſtimabili pecunia, ſiue pretium illud ſit à munere, ſiue à lingua, ſiue ab obſequio, alioquin Simonia cõmittitur, quæ de genere ſuo eſt mortale grauiſſimum contra illud Domini præceptum. Gratis accepiſtis, gratis date, Matth. 7. atque adeo contra ius diuinum, contra naturale verò quia in eo vẽditur quod non eſt venale, aut pretio æſtimabile, nec vendentis vt qui ſit tantũ diſpenſator rerum ſpiritualium, ac præterea contra ius Canonicum, quamuis permutare beneficia ſine Papæ licentia, & penſiones temporales, & medias vẽdere, ſit tantum iure canonico vetitum.

De Speciebus Simoniæ. Cap. 86. & 87.

TRes sunt Simoniæ species, Mentalis, Conuentionalis, Realis. "Mẽtalis est duplex altera cum quis mente deliberata, vult rem spirittualem pretio contractare non, deuenit tamen ad actum externum, vel quia non potuit, vel quauis alia de causa: altera cum voluntati deliberatæ additur opus exterius, non exprimit tamẽ id quod dat à se dari tanquam pretium, nec intercedit vllum pactum vel explicitum vel implicitum. "Conuentionalis est, cum pretium ducitur in pactum, non sequitur tamen operis consũmatio ex vtraque parte, sed aut pretii solutio, aut beneficii deest translatio. "Realis verò hæc omnia continet. Quatuor dantur regulæ ad Simo-

niam rectè cognoscendam. * Prima, nunquam Simonia committitur, ntsi quando aliquid datur tanquam verum pretium rei spiritualis, vnde si detur ad sustentationem ministrorum, vel per modum oblationis, aut Eleemosinæ, non est simonia, quod pro aliis est quoque obseruandum, vbi etiam notandum est semper esse simoniam quando pretium datur vel accipitur pro re spirituali, vt talis est, siue alioquin in se plus habeat de spirituali, siue minus & plus de temporali. * Secunda est vbi datur pretium pro re, quæ licet aliquid habeat de temporali, plus tamen habet de spirituali, ibi est simonia, vt ad conferenda Sacramenta. * Tertia. Cum pretium intercedit in mistis plus habentibus de temporali, vt sunt calices, campanæ, organa, &c. nec illud pretiũ datur pro spiritualitate, non est simonia, & ideo licet vendere &

emere calices etiam consecratos, eodem pretio quo si non essent consecrati.

De Simonia in primo, & secundo genere spiritualium. Cap. 88.

VEndere & pretio contractare, quæ dicuntur essentialiter spiritualia, vt virtutum vsus, vel operationes, est simonia, quamuis per modum Eleemosynę, vel spontaneæ largitionis, aut sustentationis, aliquid liceat dare oranti, ieiunanti, audienti sacrum, &c. *Secundo huiusmodi inter se commutare, vt audire alterius confessionem vt audiatur, non est simonia: nam talis commutatio non est iure diuino, neque positiuo prohibita, quare Conradus, q. 4. sent. distin. 14. ar. 3. vbi contrarium scripsit, non

recipitur. *Tertio nec simonia est pro vsu virtutum naturalium, vel eorum labore aliquid accipere, vt ad docēdam etiam Theologiam. Quarto, nec pro labore Sacramētorum administrationem antecedenti, vel pro obligatione, qua sacerdos se obligat sacrum administrare, tunc enim tantum suam libertatem vendit. Pro labore autem, tali administrationi annexo, nihil accipere licet, quia vnum & idem est cum ipsa re spirituali, nisi detur vel per modum sustentationis, tunc enim dari potest etiam habenti aliunde reditus, si ratione illorum non teneretur ministrare Sacramenta, ex officio. vel per modum oblationis, aut gratitudinis, &c. Episcopi verò pro collatione ordinum, vel dimissoriis, aut sigillo etiam á sponte offerentibus, nihil accipere possunt: sicut neque á Notario pro suo officio ex Trid. sess. 21. Cap. 1. quin imo

& candelæ non ſine periculo dantur. Notarii ſimiliter nihil accipere debent pro ſimili negotio, niſi vbi conſuetudo fuerit in contrarium, ante concilium, aut ſi ſalarium nó habeant, & tunc quod accipiunt, non debet excedere decimam vnius aurei patrem pro dimiſſoriis & aliis.

De Simonia in tertio genere ſpiritualium, Cap. 86.

IN tertio genere rerum ſpiritualium, reponuntur, quæ ſunt á poteſtate ſpirituali, vt ſupra cap. 84. quales ſunt in voto diſpenſare, iuramenta relaxare, á cenſuris abſoluere, & templa conſecrare: pro quibus non licet Epiſcopis quidquam accipere, vel tanquam pretium, vel per modum ſuſtentationis, ſi aliunde habent ſuſtentationis reditus, ſed tantum ſi ſpó-

tè aliquid offeratur. Tempore tamen visitationis, ne quidem munera ita oblata possunt accipere, nisi pro victu, eoque moderato & frugali, Trid. Sess. 24. c. 3. & c. 6. vbi statuit, vt dispensationes in matrimonio gratis fiant. Nunquá tamen murmurandum contra Papam, quando ex iis pecunias exigit, quia plurimum indiget tanta in Ecclesia maiestas: & quia interdum datur pecunia in pœnæ satisfactionem, vel per modum compositionis, seu commutationis, nā qui petit ab onere legis alicuius liberari, iustè potest alicui leuiori oneri pecuniæ subiici. Pro missa non licet pretium accipere, potest tamen aliquid accipi per modum sustentationis, aut oblationis, & de eo etiam pactum iniri secluso scandalo, & hoc maxime si sacerdos sit pauper. Pro Religionis ingressu aliquid dare, vel accipere est Simonia, quamuis aliquid da-

ri possit monasterio pauperi ratione victus & recipi gratis oblatum sine labe Simoniæ, imo vero & de eo paciſci licet, demum quæ plus habent de temporali quã ſpirituali, vt officia cãtorum, veſtes ſacræ, Calices) &c. vendi poſſunt etiam in vſus profanos, modo prius frãgantur, & nihil amplius accipiatur ratione conſecrationis.

De Simonia beneficiorum, & officiorũ, quæ in quarto genere rerum ſpiritualiũ committitur. Cap. 90.

VEndere aliquid horũ pecunia, vel aliquo alio pecunia æſtimabili, ſeu emere, eſt Simonia: vnde qui daret alicui beneficium hac conditione, vt eius ſoror fratri ſuo nuberet, & hoc pro pretio, eſſet Simoniacus, ſi vero daret ratione gratitudinis, quo modo famulis etiam Epiſco-

porum talia dariſolent: Simoniam haud committeret. Dare pretium pro beneficii collatione, reſignatione, vel poſſeſſione, eſt Simonia, imo & pro interuentione, vt beneficium alicui conferatur, quam incurrit etiam, qui ius patronatus emit, aut vendit, niſi id fiat ratione temporalis annexi, & ratione illius, nihil amplius accipiatur. Quando tamen electio eſt nimis perniciosa eccleſiæ, poſſet dari pecunia ne fieret, vt ſi Cardinales vellent eligere Pontificem iniquum vel hæreticum, inquit Caiet. & ſi non reperiretur niſi vnus dignus, qui in Papam poſſet eligi, poſſet dari pecunia, vt talis eligeretur, ſine Simoniæ culpa. vt Sotus addit, item Simonia eſt emere ius ad beneficium, at non redimere vexationem poſt beneficium obtentũ, vel ante dare pecuniam, vt vis & fraus, propellatur, ſicut neque vere il-

le esset Simoniacus, qui ficte pecuniam promitteret pro beneficio accipiendo, animum tamen non haberet eam dandi.

De Simonia in permutatione & locatione. Cap. 91.

PErmutare spirituale cũ temporali officio, vel cum spirituali, quod maiori ex parte temporale est, vel cum pensione, aut beneficium cum beneficio sine superioris licentia, etiam petita, sed non obtenta: Simonia est: quæ Simonia etiã interuenit, quotiescunque in ea permutatione inuenitur aliquid datum per modum pretii, vt si quis quia aliud beneficium est dignius, aut pinguius, postulat de pecunia aliqua, vel quocunque modo alio pecunia æstimabilis, super accipiendo. Et per superiorem hic intelligimus eum, qui potest beneficia conferre. Et

care similiter iurisdictionis potestatem, seu vices spirituales, est Simonia. Non tamen locare, aut vendere obuentiones, & oblationes Ecclesiasticas, vt fructus qui sibi ex iurisdictione cõtingunt si fiat ad concessum tempus, videlicet ad triennium, vel nouennium, & quanquam nullo iure prohibitũ sit. vt tales fructus locentur ad vitam locantis, id tamen honestum non est.

De Simonia, & Pensionibus, ac pœna Simoniaci. Cap. 92. & 93.

PEnsiones, quæ loco beneficiorũ dantur, vt pro adiutorio in officio spirituali, non licet vendere, vel emere, at quæ dãtur ob seculare officium erga Ecclesiam, vendi, & emi possunt. Licet autẽ pẽsiones quæ dãtur ob resignationẽ alicuius beneficii, redi-

mi queant, sine Simonia, etiam ſi-
ne alia facultate, non tamen licet
eas emere vel vendere, cum ſit ma-
nifeſtum Simoniæ vitium, ſicut
neque licet reſignare beneficium
retenta penſione cum pacto redi-
mendi penſionem. Pœna Simo-
niaci eſt quadruplex, ſed duæ ſpe-
ciales, excommunicatio papalis, &
beneficii empti, vel venditi priva-
tio, cum obligatione reſtituendi
pecuniam acceptam. Hujuſmodi
autem pœnæ non dantur Simo-
niaco mentali, neque conuentio-
nali, niſi in vno caſu, nempe quan-
do iam datum eſt beneficium, et
pecunia nondum ſit ſoluta, nam
ſecus quando pecunia eſt data, ſed
beneficium nõdum eſt traditum,
vel quando interceſſit ſolum pa-
ctum, ſed nulla traditio, pœnæ
læ non incurruntur. Imo vero
nec in vllo caſu ob Simoniam con-
uentionalē illas incurri, ſatis pro-
babile eſt; propter autores qui

sentiunt, incurruntur vero semper propter Realem,& tunc beneficium relinquendum est in manibus conferentis,& pecunia dãda pauperibus vel Ecclesię. Quæ de decimo prącepto dicẽda forent, vide in sexto cõpendiose collecta.

Finis Libri Quinti.

LIBER SEXTVS.

De quinque Ecclesiæ Præceptis in speciali.

Quid Ieiunium, & quotuplex. Cap. I.

IEiunium est abstinẽtia ab his, quæ gustu percipiuntur, & hæc sunt tria, cibus, potus, & medicina. Ieiuniũ triplex, naturale, ec-

cleſiaſticum,& ſpirituale. Ieiuniũ naturale eſt cũ quis a media nocte,vſque ad dimidium diei artificialis, nihil omnino deglutiuit, & hoc ieiunium neceſſarium eſt ante ſacram communionem,& miſſæ celebrationem, Ieiunium Eccleſiaſticum eſt * abſtinentia à cibo, iuxta Eccleſiæ ritum. quod quidé non frangitur qualibet parua re,vt naturale, nec potu ante prandiũ, aut poſt, etiam ſi vinum fuerit, ſecus tamen de lacte, & aliis id genus,quæ licet potari poſſint, communiter in cibos computantur, neque per medicinalia , aut per modum medicinæ ſumpta , aut propter infirmitatem,etiamſi verè nutriant,neque etiamſi quid modicum ſumatur ante potum , ne noceat,vel ad præguſtãdos cibos. Ieiunium ſpirituale animæ eſt abſtinere à malis cogitationibus.

Qui finis, & qualis ieiunii modus. Cap. 2.

TRiplex est ieiunii finis, carnis concupiscentias refrænare, corpora aptiora ad contemplandum reddere, & pro peccatorũ pœnis satisfacere. Modus duplex, intrinsecus, & extrinsecus: intrinsecus consistit in substantia ciborum, à quibus abstinendum est, & in quantitate, & tempore. Circa substantiam, ab esu carnium semper in ieiunio abstinendum, ab ouis & lacticiniis saltem in Quadragesima, in aliis verò temporibus seruanda est patriæ consuetudo, ita vt si cum aliquo dispensetur vt vescatur carnibus, censeri debeat cũ eo quoque dispensatum esse in ieiunio, secus autem si tãtum in lacticiniis. Discreta quantitas est, vt semel in die comedatur, quod tamen non im-

pedit quin vt prandium ex causa poteſt interrumpi, ita & diuidi, ſed alias qui pluries comedit, ieiunium frangit, at, qui prandium plus æquo protrahit, peccat quidem contra ſobrietatem ieiunium tamen non ſoluit. Permittuntur conſuetæ collationes etiã cum modico pane, & vino, vel vno atque altero genere fructuum, nec prohibentur lautiores, quæ Romæ fieri conſueuerunt Papa tolerante, dummodo ne lautæ ita ſint, vt verius cœnæ dicantur, & in vniuerſum menſura collationis expendenda eſt ex cõſuetudine patriæ, prout viget apud bonos & moderatos. In tempore, modus eſt, vt prandium iuxta loci conſuetudinem habeatur, vt vna hora ante meridiem, quæ tamen hora poteſt iuſta de causa præueniri, vt ſi quis habeat hoſpites, vel facturus ſit iter, vel quia propter negotia non licebit illi tardius, ea-

demque est ratio de seruis ministraturis Domino tempore prãdii. Sine causa autem præuenire horam prandii, etsi mortale quidam putent, probabilius tamen est, esse veniale. Matutinæ collationes, quæ prandiũ ad vesperã, & noctis horã differunt, ex causa licent, sine causa, non sine peccato veniali sunt. Extremus modus est, quod hæc ieiunia in gratia & charitate fiant, & ideo salubre est confessionem, quadragesimæ pręmittere.

Quando ieiunium sit in præcepto, & qualis obligatio.

Cap. 3.

MVlta sunt Ecclesiæ ieiunia sub præcepto: Quadragesima videlicet, quatuor anni tempora, Vigilia Natiuitatis Domini nostri Iesu Christi, Pentecostes, Assumptionis B. Mariæ

Virg. Omnium Sanctorum, Beatorum omnium Apostolorum. S. Ioannis Euangelistæ,& Philippi ac Jacobi prima die Maii exceptis, S. Ioan. Baptistæ, S. Laurentii martyris & aliæ vigiliæ speciales iuxta locorum consuetudinem. Præceptum abstinendi à carnibus cõpræhendit etiam pueros ante pubertatis annos, & multo magis adolescentes ante vigesimum primum annum, quo etiam tempore tenẽtur abstinere à lacticiniis, post annum vero vigesimum primum absolutè ieiunare. Qui semel in die soluit ieiunium, non tenetur eodẽ die ieiunare, nec nouo peccato grauatur tunc pluries comedendo, nisi ex contemptu illud faciat. Qui verò carnem comedit, peccat toties quoties comedit, quia facit contra præceptum negatiuum.

Qui à ieiunio Ecclesiastico excusentur. Cap. 4. & 5.

QVatuor sunt causę à ieiunio excusantes, infirmitas, paupertas, labor, & pietas. Infirmitas quadruplex, languoris, complexionis, ætatis, & conditionis: Languor in febri, & vulnere graui consistit, quibus affecti, sicut & valetudinarii, ac debiles, & qui inedia, in capitis, ac stomachi dolores incidunt, non tenentur ieiunare. Ratione ætatis excusantur, qui nondum 21. annum expleuerunt, & qui senio iã confecti sunt, vt qui septuagesimum annum attigerunt, quamuis aliqui etiam antea excusantur, qui tamen non excusantur à qualitate ciborum. Ratione conditionis & status. Mulieres grauidæ, & lactentes, pauperes qui satis non habent quo vnica comestione nutriantur, o

peratii quorum artificium arduũ est ac molestum, etiamsi alioquin diuites sint, modo ex officio laborent, vel ob publicam vtilitatem, aut ad vitandum graue damnum, proprium, aut aliorum : secus tamen de sutoribus & aliis huiusmodi, qui non adeo corpus exercent, præterea Cõcionatores, magistri, confessarii ex officio aut obedientia, iter facientes pedibus peregrini, cum peregrinatio est ex voto: vel non potest in aliud tempus commode differri, ob pericula viarum & alia huiusmodi, maxime si accedat consiliũ confessarii, coniux qui non potest reddere debitum ieiunãdo, vxor ad euitandas rixas modo non in causa fidei, omnes inquam isti excusantur à ieiunio, qui vero bona fide credit se habere causam sufficientẽ ad ieiunandũ, si non ieiunet, solũ pec. ven. deberet tamen petere declarationem à Confessario, vel à

viro docto, aut Medico, Episcopus verò & superior possunt non modo idem declarare, sed etiam dispensare cum subdito in ieiunio. Non solum autem is peccat contra præceptum ieiunii, qui cum ad id astringatur non ieiunat, sed etiam qui est in causa vt alii ieiunium soluant, quales sunt imprimis qui compellunt seruos ad laborandum, ex quo fit vt non possint ieiunare, quando opus differri poterat in alium diem sine graui damno. Secundo, patres familias qui suis cibos ministrãt quando deberẽt ieiunare. *Tertio, Caupones qui parati sunt omnibus & quacunque hora cibos præbere. * Denique qui alios inuitant ad cœnã qui alioqui, cœnaturi non erant, vel quocunque alio modo sunt in causa, vt non ieiunent. Obseruandum autem est cum quis peruenit ad locum, vbi fit aliquod speciale ieiunium sub præcepto

teneri illud adimplere, si ibi sit diu moraturus, non autem si vt peregrinus inde transitum habeat, modo absit scandalum.

De Præcepto audiendi sacrum Cap. 6. & 7.

AVdire sacrum non est idē quod intelligere, vel voces sacerdotis celebrantis percipere, vel eundem videre; sed corpore, & mente sacro interesse. Oportet. n. quod homo sit præsens, & mēte intēdat, itavt si ex affectata negligētia nō aduertat, aut sponte diuagetur, vel opus aliquod agat habēs vagationē annexā, vt studere, scribere, suere, vel pingere, non satisfaciat. Potest tamē horas can. vel calculos recitare, ac pœnitentiam satisfactoriam sine culpa persoluere dum sacrum ipsum agitur, dummodo attendat saltem virtualiter se sacro interesse nem-

pe quia hæc omnia ad eundem finem tendere videntur, qui est Dei cultus, & laus. Non refert autem quo in Templo missa audiatur, sed hortandi sunt fideles, vt saltem diebus festis in propriis Parochiis audiant. Conc. Tr. sess. 22. cap. 1. Nullus eodem die tenetur pluribus interesse missis, ne quidem in die Natiu. Domini, tenetur tamen ad vnam integram, cuius partem notabilem, puta, tertiam partem, vel ab introitu ad Epistolam exclusiuè, sine causa relinquere, est pec. mort. potest media missa audiri ab vno sacerdote, & alia media ab alio, consultius tamen est vt quilibet missam integram audiat, ab vno & eodem sacerdote.

A quo, & quando audienda sit missa. Cap. 8. & 9.

NOn est audienda missa à nominatim excõmunicato, suspenso, vel interdicto, degradato, vel à publico clerici percussore, publice concubinario & denunciato, potest tamen ab aliis quibuscunque etiam excommunicatis à iure vel homine, modo non sint nominati. Dominicis diebus, & festis de præcepto omnes fideles vsum rationis habentes sacro interesse debent, sub pœna peccati mortalis, aliis vero diebus, nemo ad hoc obligatur. Quãquã etiã in illis dãtur quinque causæ quibus multi ab audiendo sacro excusantur. Prima, quoties nõ potest audiri sine damno spirituali, puta peccati, proprio, aut alieno, quomodo excusantur excommunicati, interdicti, & qui voto se obligarunt, aut iuramento se non egressuros ex ea domo in qua loco carceris detinentur. Mater illa similiter, quæ suis sine

timet filiabus. * Secunda. Quoties timetur aliquod damnum corporale notabile, & sic excusantur infirmi, infirmarii, matres paruulos habentes domi; serui, & famulæ à dominis verberari timentes, vel iniurioſa verba, ſi domum deſerant, qui faciunt iter, & timent ſi ſacrum audiant ne deſerantur à ſociis, & ipſi viam non tenent, aut periculum eſt latronum. *Tertia. Quoties quis abſque famæ læſione domo exire nonpoteſt, vt puella non habens veſtes conditioni ſuæ conuenientes; nobilis filia quæ iuuenum atque aliorum carnalium hominũ turpes timet incurſus: viduę quę poſt coniugis obitum domi clauſæ manere conſueuerunt, licet per menſem, & amplius permaneant, iuxta loci conſuetudinem. * Quarta. Quãdo quis in re propria, aut proximi timet damnum euidens, qui obrem, arcis, & carceris cuſtodes

consiliarii, qui ex officio magna pertractant, & quæ non possunt differre sine detrimento, pastores ouium, & armentorum, custodes vinearum, & qui timent latrones si domum deserant, qui non possunt sua negotia agere nisi iter faciant, ex quo coguntur sacrum ommittere; famuli, qui à dominis sine causa impediuntur, à sacro audiendo, & non possunt alios dominos commodè inuenire, modò id illi non faciant in fidei cõtemptũ, excusantur.* Quinta, & vltima regula, seu causa excusans est impotentia, quæ excusat in carceratos, longum iter facientes siue terra, siue mari, eos qui carent Sacerdotibus, vbi notandum, quod quando in his & similibus, non esset causa sufficienter excusans, cum tamen quis bona fide eam credit sufficientem non peccare mortaliter.

Quomodo sacrum audiendum, & quæ inde vtilitas. Cap. 10.

HOmo fidelis ita affectus ad sacrum audiendum accedere debet, vt fide, Christi Dominum in hoc sacramento vere contineri, in missa verò sacrificium Deo patri acceptissimum offerri credat: summo etiam amore erga Christum afficiatur, sequeindignũ tanto existimet beneficio. In missa namque repręsentatur Christi Domini Passio, quæ fuit omnium beneficiorum maximum generi humano collatum. Externa insuper summa modestia, & corporis decentia interesse oportet, non vnico tantum, sed vtroque poplite flexo, capite semper derecto. Qui tali dispositione ad missam accedit audiendam, eademque ibi adstat, vbi & Angeli assistunt, mul-

plicem recipiet fructum, scilicet, gratiæ augmentum, pœnæ tẽporalis remissionẽ, & gaudium spiritus, animæ cõsolationẽ inenarrabiẽ.

De Tertio Ecclesiæ præcepto, quo annualis confessio iubetur.

Cap. 11.

CONfessionis pręcepto, omnes vsum rationis habentes cuiuscunque ętatis, sexus, & conditionis fuerint, in anno semel saltem parere tenẽtur. c. omnis vtriusque sexus, de pœnit. & remis. Interdũ tamen post mortale quis confiteri tenetur statim, vt si mortis immineat periculum, vel Eucharistiæ sacramentum sit sumpturus, aut probabiliter credat se eodem anno non habiturũ copiã confessarii. Innumeræ sunt pænè sacramenti confessionis vtilitates ac fructus. Gratię acquisitio, vel eiusdem augmentum: pœnæ tem-

poralis relaxatio: inimici infernalis debilitatio,& confusio: animæ corroboratio, & meritorum multiplicatio. Cæterum præceptum hoc confessionis obligat tantum ad confessionem mortalium, quâ uis salubre etiam sit venialia cõfiteri: facienda verò est cõfessio, proprio sacerdoti, hoc est Episcopo, parocho aut habenti à superiore facultatem.

De Quarto Præcepto Ecclesiæ, Quid Eucharistia. Cap. 12. 13. & 14.

EVcharistia est species sensibilis panis & vini, significãtes Christi corpus & sanguinẽ, ac realiter vtrunq; cõtinẽtes; quod additur quia species illæ non modo significãt, sed corpus & sanguinem verè ac realiter continent verbis namque consecrationis prolatis, statim panis vinique substã-

tia in

tia in corpus, & Christi sanguinẽ conuertuntur, & accidentia panis & vini per se subsistunt: & quamuis ex vi consecrationis & significationis verborum, sub altera tantum Christi corpus, sub altera vero sanguis duntaxat contineatur, concomitanter tamen sub qualibet totus continetur Christus. Institutum fuit hoc Sacramentum, vt esset perenne passionis Christi memoriale, vt esset in signum amoris erga nos feruentissimi. vt esset animæ nostræ cibus spiritualis & religionis Christianæ saluberrimum sacrificium. Innumerabiles parturit fructus, etenim vitam per gratiam largitur, animam nutrit, confortat, conseruat in gratia, satiat. lætificat, mortificat passiones, hominum animos vnit cum Deo, & inter se, inflammat, & ad vitam ducit æternam.

Qualis esse debet hoc Sacramentum sũpturus. Cap 15 &16

PLures sunt circunstantiæ, quæ in suscipiente Eucharistiã requiruntur, quas hæc duo supposita carmina docent.

Lotus, discretus, sanus, ieiunus, & aptus,
Contritus, fassus, mundus refectèque paratus.

Lotus, id est: Baptizatus. *Discretus ille est, qui rationis iudicio præditus est, vt puer decimum vel duodecimum annum agens, prout Alensis 4. par. q. 49. in. s. Palud .4. dist. 9. q. 4. Sylu. verbo Eucharistia. q. 3. monent. ante quod tamen tempus, obligat præceptum confessionis. Amentibus autem à natiuitate danda non est, neque phreneticis, nisi ante phrenesim contriti fuerint, & confessi, ac communionem po-

ſtulauerint, & nulla irreuerentia timeatur erga Euchariſtiam. " Sanus, oportet enim vt ſaltem ſtomacho benè valeat, ne euouomat *Ieiunus i. ieiunio naturali à media nocte, niſi ſi mors expectetur: cui ieiunio non repugnat quodquis dum os abluit modicum aquæ per modum ſaliuæ deglutiat, vel micas aut alias huiuſmodi cibi particulas quę inter dentes manere ſolent. * Aptus, hoc eſt, non impeditus interdicto, ſeu excommunicatione. * Contritus, hoc eſt, exiſtimet ſe eſſe ſine peccato lethali. Confeſſus, quia cõtritio non ſufficit exiſtentibus in mortali, niſi cum non eſt copia confeſſarii: vel in neceſſitate, aut mortis, aut officii diuini exequendi, vt interdum in parocho, aut infamię quã quis incurreret ſi non communicaret, & maximè ſi tunc teneretur ex præcepto aliquo ad communicandum, aut ſcandali ſiue

alterius ſimilis incommodi, vt Sacerdos iam exiſtens in altari re' cordetur alicuius peccati mortalis. Mundus, id eſt non pollutus mortali culpa, quamuis nec tunc quidem ſi præcedat confeſſio. communicando alio modo quis peccet, quàm venialiter. Quod ſi pollutio ſine culpa aut ſola veniali contigiſſet, etſi melius eſſet abſtinere, niſi peculiaris quædam eſſet ratio eo die communicandi. vt ſi dies eſſet præcepti, vel ad hoc eſſet peculiaris deuotio, vel quid ſimile. nullum tamen eſſet peccatum communicare. Rectèque paratus; fide videlicet, & examinatiudicio, amore. & reuerentia: & ſi Sacerdos ſit vt habeat ſtolam. Quod ſi capite damnati, omnes ſuperiores diſpoſitiones habeant, illi etiam Euchariſtia eſt danda, vt antiqui canones tradunt.

De Eucharistiæ ministro, & tempore, quo est sumenda. Cap. 17. 18. & 19.

SAcerdos curatus est proprius huius Sacramenti minister, quamuis Diaconus in necessitate de licentia curati præsẽtis, vel sine licentia eo absente. absq; culpa ministret. Nunc tamen multi etiam religiosi habent potestatem administrandi Eucharistiam, inter quos SOCIETAS IESV. & in genere peccat minister huius sacramenti illud ministrando illis quibus non potest, aut debet, vt sunt publici peccatores, ante peractam pœnitentiam,& alii de quibus supra,aut modo quo non debet,vt sub vtraque specie, vbi non dispensat S.P. vel sinegligẽtia illius infirmus excedat sine viatico. Sacra communio sumenda est saltem semel in anno, & quidem in

Paſchate, niſi confeſſarius aliter faciendum iudicaret: & per tempus Paſchæ hic intelligitur totum tẽpus quod eſt à dominica palmarum vſq; ad dominicam Quaſimodo, ipſo verò diæ Paſchæ debet quilibet communicare in ſua parochia niſi habeat poteſtatem á parocho. Si quis autem hiſce diebus non communicauit, non tenetur ſub noui peccati culpa illo anno amplius communicare, niſi imminente mortis articulo. At verò quemadmodum confeſſionis præceptum non obligat in aliqua parte temporis determinata, ſic non confeſſus vno anno tenetur ſub noui peccati vinculo habita commoditate, mox confiteri. Frequentia autem ſacræ communionis non eſt in præcepto, ſed laudabilis & animæ probè diſpoſitæ ſaluberima: communiter tamen ſatis eſt communicare ſingulis hebdomadis ſemel.

De Decimis. Cap. 20

QVintum & vltimum Eccle siæ præceptum est de solutione decimarum. Dominus enim ex 12. Tribubus vnicam Leuiticã sibi ad seruiendũ in Tẽplo eligere voluit, cuius ministris ex fructibus terræ decimam partem impertiri præcepit, quæ, & Quota dicta est. Decimæ sunt de iure naturali, & diuino, Quota, seu quantitatis specialis mensura, nunc in noua lege est de iure positiuo. Tres sunt decimarum species, prædiales personales, & mixtæ. Tenetur homo sub mortali decimas soluere secundum loci consuetudinem & contrarium in concionibus suadentes, excommunicationis sententiam incurrunt, vt supra lib. 1. cap. 39.

De Indulgẽtiis, & primò quid sit Indulgentia Cap. 21. & 22.

INdulgentia est * remissio pœnæ temporalis, actualibus peccatis debitæ, extra Sacramentum facta, ex thesauri Ecclesiastici dispensatione. Dicitur * remissio, quia per eam fit quædam pœnæ relaxatio respectu illius cui indulgentia datur, ipsa verò culpa non tollitur per indulgẽtias, sed ratione præparationis, & virtute contritionis antecedentis, ac Sacramenti, quæ quia indulgentiis semper prærequiruntur aut supponuntur, ideo dicuntur interdum tollere pœnam & culpam. Dicitur * temporalis, quia pœna æterna vna cum culpa cõdonatur, nempe per contritionem vel confessionem. * Actualibus peccatis debitæ: nam infirmitas, mors & aliæ pœnæ originali peccato

flictæ, non delentur indulgentiis. " Extra Sacramentum facta: quia tam Sacramentum quam bona opera tollunt partem pœnæ temporalis: sed non vocatur indulgentia nisi hæc, quę ex despensatione thesauri Ecclesiastici nobis sancti Pontifices misericorditer cõcedũt, potestate ipsis tradita Matt. 16. Quodcunque solueritis &c.

De modo concedendi indulgentias. Cap. 23.

POenæ illę, quę pro mortali pecato, iuxta antiquorum canonum regulã infligebãtur, vt puta quinque annorum pro casuali homicidio: septem, pro voluntario, & decem pro adulterio: non respondent tempori pœnę purgatorii, quia cum hęc sit intensiuè acerbior omni pœna quę in hoc mundo reperiri possit, credibile non est vnum peccatum

mortale tandiu puniri in purgatorio, & contra fieri potest vt pœna quę statuitur per canones pro vno peccato, non exæquet illam quæ luenda est pro eodem in purgatorio, secundum Dei iustitiam. Iam uerò per indulgentias uon modò pœnæ canonum tolluntur, sed etiam purgatorii, & quæ infligendæ essent secundum Dei iustitiam. Quãdo verò indulgẽtia, cõceditur sine illa particula, de iniunctis tũc valet etiam quantum ad pœnam, quæ in cõfessione imponitur vel no bis imponẽda erat, vnde tũc pœnitẽs nõ tenetur de iure illã implere, quamuis consilium optimum sit vt impleatur ad maius gratiæ cumulum acquirendum, quæ gratia multo plus valet quàm remissio pœnæ

De modo concedendi indulgentias in particulari Cap. 24.

PLures sunt modi concedendi indulgentias, * primus est, cum plenaria conceditur, nempe qua peccatorũ mortalium & venialium pœna condonatur integrè, ita vt nulla amplius supersit soluẽda, neque in hoc mundo, neque in purgatorio, vnde inter plenã, plenioré, & plenissimã, nulla videtur in re differentia. * Secundo. Conceditur indulgentia limitata, id est, indulgentia tertiæ, & quartæ partis peccatorum, & tunc intelligitur pro condonatione tãtæ partis pœnæ peccatorum, quanta significatur. * Tertio Quando significatur limitata respectu temporis, vt centum, vel mille annorum, & tunc remittitur tota illa pœna quæ remitteretur secundum Dei iustitiam, si homo toto illo

tempore pœniteret ſecundum pręſcripta Canonum & conſequenter pœna purgatorii, ei reſpondens. * Quarto. Cum vltra certum annorum tempus, numerus additur quarantenarum, quę erãt certi quidam dies intra eoſdem annos compręhenſi, in quibus iuxta antiquorum canonum normam. erat grauior pœnitentia ſubeunda. * Quinto Quando indulgentia cõceditur, tot annorum, vel plenaria, & additur cum tertia, vel quarta parte peccatorum: & aliquando etiam â tota pœna, & culpa: ſed tunc per culpam, & tertiam, vel quartam partem peccatorum, intelligi poſſunt venialia, quæ remittuntur ex vi boni cuiuſdam operis iniuncti, & per modum cuiuſdam ſacramentalis ad hoc ab Eccleſia cõſtituti. * Sexto. Per modum Iubilęi qui modus non differt ab indulgentia plenariâ á culpa, & pœna, niſi in ad

iuncto, quia videlicet in Iubilæo conceditur facultas absoluendi á casibus reseruatis, & vota commutandi. quæ olim nisi rarissimè concedebatur.

De Concedente Indulgentias. Cap. 25.

PApa, & Concilium generale tantum, possunt indulgentias plenarias concedere. Legati verò, Archiepiscopi & Episcopi quadraginta tantum dierũ; & in dedicatione Ecclesiæ vnius anni. Papa, Concilium & Legati, Perpetuas constituere possunt, alii tẽporales, præter Legatum, qui potest indulgentias suas perpetuas reddere. Papa per totum mundum Legati in sua Legatione, Archiepiscopi in sua prouincia, Episcopi in suo Episcopatu, Cardinales autem prout à Papa eis conceditur.

Indulgentia prodeſt mortuis in Purgatorio. Cap. 26

INdulgentiæ proſunt etiã mortuis intelligitur id ex Macha 2. Cap. 4. Concil. Trid. ſeſſ. vlt & Sancti Pontifices idem confirmarunt. Vnde Paſchalis ſecundus, Papa, primus indulgentias Eccleſiæ ſanctæ Praxedis pro mortuis per modum ſuffragii olim impendit, quas deinde vndecim ſequentes Pontifices cõfirmarũt, vt habetur in Bulla S. Praxedis, dicuntur autẽ hæ indulgentiæ per modũ ſuffragii, vel quia per illas animæ nõ iuſtificãtur, vel quia viui eas pro mortuis cõſequuntur, in quo illis ſuffragãtur: Deus tamen ſemper illas indulgentias pro mortuis acceptat ſicut & pro viuis, & ideo ſunt illæ pro mortuis quoque certiſſimæ

Quinimo etiam in mortali existentes, mortuis iudulgentias lucrari possunt, quia pretium quod pro pœnis illorum soluitur, non est opus peccatoris, sed thesaurus meritorum Christi,& Sanctorũ,& opus per quod indulgentia applicatur, fit nomine Ecclesiæ.

Quod indulgentiæ prosint Viuis Cap. 27.

Viuis prosũt indulgẽtiæ per modũ absolutionis,& potestatis iuridicæ,quã habet Papa in viuos. Oportet autẽ * primo quod cõsecuturi indulgẽtias sint in statu gratię, saltem in vltima die, qua communicant. * Secundò necesse est, quod causa sit pia, propter quam indulgentia cõceditur.*Tertio requiritur opus particulare per quod ea singulis applicetur & sine quo ea non obtinetur, vt verbi gr. oratio,elee-

mosina ieiunium. Cum verò in
indulgentia habetur eam dari con
fessis & contritis, per se necessenó
est tunc confiteri, si eodem anno
confessio præcesserit, sed satis est
contritio, cũ proposito cõfitẽdi suo
tẽpore. In Iubilæis quando cõce-
ditur facultas absoluendi à reseru
tis, si forte pœnitens in confessio-
ne alicuius peccati reseruati sine
culpa obliuiscitur, post Iubilæum
á quouis proprio cõfessario absol-
ui poterit.

De causa indulgentiarum, & v
lore. Cap. 28.

ADrianus, & Caietanus
sserũt magnas indulgẽti
pro paruis causis esse. Al
dicunt earum valorem causæ pro
portionari. Sed dicendũ videt
* primo illum male agere, qui p
causaleui magnas cõcedit indulg

as quia papa nõ est dominus: Dispensator autem thesauri Ecclesiæ, non nisi conuenienti causa data, dispensare debet bona sibi credita. * Secundò etiamsi pro leui causa concedantur indulgentiæ, validæ sunt in totum, quia tantum valent, quantum sonant. vt S. Thom. 4. dist. 20. q. a. 3. Dur. Palud. S. Anton. & Siluester, & alii communiter. *Tertiò subditi semper debent existimare Papam habere causam æquiualentem indulgentiis concessis. *Cæterum quando indulgẽtia conceditur solum ad certum tempus, quilibet potest tãtum eas semel consequi, quando autem est perpetua toties, quoties fit opus præscriptum.

LIBER SEPTIMVS.

De Sacramẽto Matrimonij, & spõsalibus.

Quid sit Matrimonium. Cap. I.

MAtrimonium est contractus viri & fœminæ legitimus, quo mutua corporum traditur potestas, gratiæ spiritualis collatiuus. Matrimonium nouæ legis in tribus differt a Matrimonio veteris legis, & in-

delium. Nam Matrimonium nouæ legis est Sacramentum gratiam gratum facientem conferens, cuius actus coniugales sunt meritorii si fiant ex debito fine, vt iustitiæ zelo, & religione, non secus ac alia bona opera facta in gratia, quibus omnibus veterum, & infidelium Matrimonia carent. Hæretica est nunc Durandi opinio, qua negauit Matrimonium Euangelicum esse sacramentum à Christo institutum, & gratiæ collatiuum. Trid Sess. 24. c. 1. & Sess. 6. & 7.

De causis Matrimonii. Cap. 2.

SAcramenti Matrimonii quatuor sunt causæ. Efficiens, sunt contrahentes quatenus matrimonium est quidam cõtractus naturalis, quatenus verò sacramẽtum Deus est causa principalis, Minister causa instrumẽtalis. Materia est cõsensus interior vtriusq;

coniugum. Forma sunt signa ex
teriora, vel verba, aut nutus, qu
bus exprimitur consensus, siue co
trahentes ea faciant per se, siue p
procuratores. Finis triplex, bonu
prolis, concupiscentiæ remedi
& mutua viri & vxoris obsequ
ante Concilium Tridentinum
nister, id est curatus, & testes
erant necessarii, post vero sine
lis nullum est atque irritum sacra
mentum Matrimonii, & requi
tur minimum duo testes.

De impedimento erroris, & co
ditionis. Cap. 3.

MAtrimonii impædime
ta sunt in duplici diffe
tia, quædam enim imp
diunt contractum & contrahe
quædam contrahendũ dunta
Contrahendum, & contractũ im
pediunt, quæ sequẽtibus carmi
bus continentur impedimenta.

Error, conditio, votum, cognatio, crimen.
Cultus, disparitas, vis, ordo, ligamen, honestas.
Si sis affinis, si forte coire nequibis,
Hæc celebranda vetant connubia, facta retractant.

*Error, hic error est, qui in substãtia personæ contingit, vt Rachel pro Lia, non autem qui in sola qualitate, vt si quis ducat quam putabat esse virginem, aut nobilem, nisi qualitas cadat in personam. * Conditio, impedimentum conditionis quatuor dictis declaratur. *Primò, Matrimonium potest esse inter seruos, & etiam inter seruos & liberos, vel contradicentibus seruorum dominis. * Secundo, quoties intercedit error cõditionis; nec deterioratur errantis conditio, matrimonium tenet, vt si seruus ducat seruam, putans esse liberam, idem dicendum si

melioretur, vt si ducat liberam, putans esse seruam. *Tertio, Cũ conditio deterioratur, non tenet: vt si quis ducat seruam, putãs esse liberam, ne quidem si dominus eam postea manumittat, nisi accedat nouus consensus vtriusq. *Quarto: Si cognita conditione deteriori, post contractum matrimonium, iterum habeatur copula affectu maritali, erit matrimonium saltem in foro exteriori.

De impedimẽtis Voti, & cognationis. Cap. 4.

VOtum solemne Religionis approbatæ (exceptis SS. Dominici, ac Franc. tertii ord. fratribus) & votum simplex Societatis Iesu, & votum solemne ordinis maioris impediunt matrimonium, & dirimunt, & Clericus vel Monachus contrahens in-

currit excommunicationem latæ sententię, que reseruatur Episcopo, & per votum hic intelligitur, tam expressum, quam tacitum: vt quod fit post primum probationis annum eo ipso quo quis actum professi facit, & pro professo se gerit. Cognatio est triplex, Spiritualis, Legalis, & Naturalis. Cognatio spiritualis post Concilium Tridétinum est tantum inter baptizantem & baptizatum, & patrem & matrem baptizati, & inter compatres, seu susceptores, qui duo tantum esse debent, & baptizatum, & patré & matré baptizati. Quando verò patrini mittunt procuratores ad susciendum, procuratores ipsi contrahunt, si velint contrahere, non patrini. Cognatio legalis nascitur ex adoptione alicuius in filium, & est triplex: Prima inter adoptantem, & adoptati filios, & nepotes vsque ad quartum gradum. * Secunda inter filios le-

gitimos adoptantis, & ipsum adoptatum.* Tertia inter vxorem adoptantis, & adoptatum, & inter adoptantem & vxorem adoptati.* Primus & tertius gradus sine impedimenta perpetua, nisi fiat per Papam dispensatio: * Secundus non impedit mortuo patre, vel cessante eius cura.

De Cognatione naturali, & consanguinitate. Cap. 5.

COgnatio naturalis est vinculũ multorũ ab vna stirpe descendentium. In generationibus enim est duplex linea, recta, & transuersalis: Recta est, quando multi ab vno descendunt, quorum vnus ab alio successiuè procreatus est, vt à patre filius, à filio nepos, & à nepote pronepos. Transuersalis est secundum quã multi ab vno descendunt, non tamen vnus ab altero, vt à patre duo filii

ex vtroque latere, ex his alii duo filii è regione, & sic deinceps. Vt autem gradus huiusmodi optimè cognoscantur, tres regulæ obseruandæ sunt. * Prima, Tantus est numerus graduum, quantus est personarum, vna dempta, verbi gratia, Pater & filius sunt duo, vna persona dempta, remanet vna, vnde pater, & filius erunt in primo gradu. * Secunda Regula pro linea transuersali est hæc, Propositis duabus personis ab vna radice separatim descendentibus eo gradu quo sunt cum communi radice coniuncti, eodem sunt inter se verbi gratia; sunt duo fratres vnius patris, quia pater & filius sunt in primo gradu, in primo pariter erunt illi fratres. * Tertia. Pro linea transuersali, propositis duabus personis ab vna communiter descendentibus, sed non ab inuicem si vna est propinquior, altera remotior illi radici, erunt ambo in

eodem gradu, in quo remotior: exempli causa: filius vnius fratris, & nepos alterius fratris: quia nepos est in tertio gradu cum proauo, & inter se pariter in tertio erunt, nam remotior gradus trahit minus remotum. Hinc fit, quod si aliqui fuerint ex vna parte in secundo vel tertio gradu, ex alia autem in quarto, petitur à Papa dispensatio pro quarto nihil addendo vel dicendo de gradu propinquiori. Quando dicitur matrimonium prohibitum vsque ad quartum gradum seu cognationem vsque ad quartum gradum, impedire & dirimere matrimonium, intelligitur in linea transuersali, nam in recta, non valet nequidem in gradu remotissimo.

De impedimento criminis. Cap. 6.

MAtrimonium homicidio, & adulterio impeditur quatuor his modis. *Primò, Cum alter coniugum cũ tertio quodam conuenit, vt alterum coniugum occidat, & realiter occidit, ea intentione, vt inter se possint contrahere. Secundo: Quando alter coniugum per se, vel per alium alterum occidit coniugem vt cum adultero contrahat, etiam adultero nesciente. *Tertio, Cum alter coniugum adulterium committit & promittit ei, cum quo adulteratur se contracturum post coniugis obitum. *Quarto, Quando alter coniugum, qui per verba de præsenti cum aliquo iam contraxit matrimonium, cũ alio subinde etiam de præsenti contrahit, & habet copulam, tunc mortuo etiam priori coniuge, isti contrahere nequeunt, si vterque fuit criminis conscius, in eis ergo omni-

bus crimen hoc, sic impedit Matrimonium.

De impedimento disparitatis cultus. Cap. 7.

HOc capitulum quatuor ab- soluitur propositionibus. *Prima Non bap. non potest contrahere cum baptizata, & contra, & si contrahunt, matrimonium nullum est, etiamsi essent catechumeni, & fidem haberent in corde. Cum hæretico est peccatum mortale contrahere, sed tenet contractum quia etiam hæreticus, & apostata est baptizatus.* Secunda Quando ambo infideles coniuges conuertuntur ad fidem, debent in suo matrimonio perseuerare, etiam contra ius canonicum contraxerint, vt puta in secundo, tertio vel quarto affinitatis gradu, in primo namque est contra ius naturæ, ideo non teneret, & qui plures

duxisset vxores, potest solam primam retinere ob eandem causam. *Tertia, Cum alter coniugum infidelium conuertitur, & infidelis vult sine Dei offensa habitare cum conuerso, debet hic cum illo vitam degere, alias, illum relinquat si vult, & nubat alteri. * Quarta, si tales infideles fuerint Iudæi, vel serui Christianorum, & alter ad fidem accedat, tunc paruuli filii conuersum sequi debent, etiamsi fœmina fuerit. Idem dicendum de infidelibus Christianorum mācipiis, de cæteris autē infidelibus non ita, filii enim sequuntur patrē conuersum non matrem.

De Vi, & ordine, impedientibus.
Cap. 8.

MAtrimonium per vim, & metum contractum, licet interior fieret consensus, nullū est. Intelligitur autem hoc

dictum de metu in virum constitem cadente. Si autem post violentiam, vim passus, consentiat, verum erit matrimonium, & tale etiã in foro exteriori existimabitur, si post violentiam interceſſerit copula modo tamen alter coniugum vtroque hoc euentu etiam perueueret in suo consensu. Ordo sacer Subdiaconatus, Diaconatus, & Sacerdotii, si voluntarie ante matrimonium fuerint suscepti, dirimit contractum, & contrahentes sunt excommunicati, vt libro 1. videre licet, quæ excommunicatio est Episcopalis, incertum tamen est an contrahant irregularitatem.

De *impedimento ligaminis.* Cap. 9.

LIgaminis impedimentũ est matrimonium ipsum ĩtum, non consummatũ. hoc enim sic ligat contrahẽtes, vt non

ter cum altero contrahere possit, & si contrahant, nullum sit, etiam si secuta fuerit copula. Quando alter coniugum cum alio contrahit, quia probabili existimatione, quam vir prudens probabit, credit alterum coniugem esse vita functum: quamuis viuat, non peccat, etiam si reddat debitum, & petat. Quando autem viuus reuertitur, tenetur redire ad primum, & hic suam coniugem recipere tenetur, nisi comperiat copulam habuisse cum secundo, postquam sciuit se esse superstitem, quod si dubium tantum esset an priot maritus esset mortuus, etsi posset reddere debitum, non tamen petere.

Quando verò alter coniugum cũ altera contrahit, putans suam vxorem viuere, quę in rei veritate mortua est, non est matrimonium, quia inter hos non maritalis, sed fornicarius est consensus, modò tamen talis sit vt existimet

se, viuente prima, non posse ducere secundam, alias enim validum est.

De impedimento iustitiæ publicæ honestatis. Cap. 10.

EX matrimonio rato non cõsummato, & ex sponsalibus consurgit hoc impedimentũ: qui enim cõtraxit, vel tantũ spopõdit cum aliqua contracturum, ante Concil. Tr. non poterat contrahere cum consanguinea ipsius, nec ipsa cum consanguineis sponsi vsque ad quartum gradum: post Concilium verò impedit tantum in primo gradu: & si sponsalia non fuerunt valida, non inducitur ex ipsis hoc impedimentum.

De impedimento affinitatis. Cap. 11.

Affinitas est cognatio ex copula carnali naturali completa, seu in qua vir semine procedens; quæ si licita sit, vt inter coniuges, extenditur vsque ad quartũ gradum si illicita vsque ad secundum. Quando verò affinitas superuenit matrimonio iam rato, non soluit, sed qui in culpa fuit sine dispensatione non potest petere debitum: quando verò copula habetur inter sponsalia, impedit matrimonium contrahendũ. Quando autem impedimentũ honestatis, & affinitatis simul incidũt tunc petens dispensationem vtrũque manifestare debet, alioquin inualida dispensatio; & qui inter sponsalia rem habuit cum matre, vel sorore sponsæ, ratione affinitatis non potest cum sponsa sua contrahere, ratione vero honestatis non potest nec cum matre, nec cum sorore, & si tenter,

quamuis inde ſuſcipiat filios, nullum eſt matrimonium.

De impedimento impotentiæ. Cap. 12.

IMpotentia impediens,& dirimens eſt, cum ſemen effundi non poteſt, vt à caſtratis vtroque teſticulo, & frigidis, aut maleficiatis, vel á fœmina recipi in claſtra naturalia, quia arcta nimis. Hoc tamen impedimentum matrimonio rato ſuperueniat, vel ſit temporale, non dirimit, nec quis tunc eſſet Eunuchus, cognoſcens vxorem peccaret: ſciétes autem impedimentum, & contrahentes, matrimonium nullum eſt, habet autem impedimentum eſſe perpetuum, & iura concedunt triennium ad probandum.

De impedimentis conditionis raptus. Cap. 13

CONditio hæc quadruplex esse potest: * Prima contra bona matrimonii, vt puta contra prolé, fidé, & indissolubilitatem, & hæc matrimonium annullat.* Secunda. Est turpis, quando sub conditione aliquod malũ ponitur, vt ducam te, si furata fueris mille aureos: vnde etiã tunc nullũ est matrimoniũ, saltem in foro exteriori, quia conditio turpis habetur pro nulla, est tamen in interiori, si fuit verus consensus. Tertia est impossibilitas, vt ducam te, si pater tuus consentiat, cum tamen pater eius sit mortuus, & mortuum esse sciat, & hæc, matrimoniũ etiã, non impedit si fuit verus eõsensus internus. Quarta. Est honesta, eaque duplex. Vna de præsenti, vel prętcrito, vt contraho tecum si es diues, vel si patrem conueniſti, & stante conditione tenet matrimonium. Alia de futuro, vt contraho tecum si mihi

dederis centum aureos: & in hoc, ante conditionem impletam nullum est matrimonium: ea verò impleta si maneat consensus, validum est, si tamẽ interim vnus sponsorum cum altero contrahit de præsenti, valide contrahit, sed peccat grauiter. Rapiens fœminam è domo, vel à parentum cura, ipsa inuitis, nunquam potest cum rapta contrahere, antequam restituat: immo est excommunicatus, vt sa- lib. 1. & perpetuò infamis, ex Con cil. Tr. sess. 24. cap. 6.

De impedimentis secundi generis quæ impediunt matrimonia cõtrahendũ. Cap. 14. & 15.

IMpedimẽta, quæ impediũt cõ trahendum, & non dirimunt cõtractũ, sunt quinque Interdictum, votum, Sponsalia, Cas

chiſmus & Crimen. Epiſcopo nãque matrimonium interdicente, mortale eſt, ſi fiat; & qui habet caſtitatis, vel religionis votum, peccat contrahendo, & conſummando, nec qui vouit caſtitatem, poteſt debitum petere ſine diſpenſatione Epiſcopi· ſecus tamen de eo qui vouit tantum religionem, & vterque mortua vxore debet votum adimplere. Sponſalia ſimiliter impediunt, nam qui cum aliqua de futuro contraxit, non poteſt cum alia ſine cauſa. de præſenti contrahere. Idem dicendum de ſuſceptore in catechiſmo, ſi enim contrahat cum catechizata, peccat mortaliter. Crimen eſt ſextuplex, Inceſtus cum conſanguinea coniugis vſque ad quartum gradum: Vxoricidium, Raptus alienæ ſponſæ: ſuſceptio proprii filii mala intentione, videlicet, vt contracta cognatione debitum vxori non reddat. Presbytericidi-

um, & Sacrilegium· vt ſi quis monialem in vxorem duxerit· hæc ergo omnia impediunt matrimonium contrahendum, ſed non dirimunt contractum.

De Spõſalibus, & quibus modis contrahantur. Cap. 16.

SPonſalia ſunt * promiſſiones mutuæ cõtrahẽtiũ, futuri matrimõij, ſigno ſẽſibili expreſſæ. Quæ quidem in omnibus caſibus & impedimentis, in quibus matrimonium non poteſt fieri, nulla ſunt, & ante ſeptennium inualida. Quatuor ſolent fieri modis.* Primo. Per abſolutam & ſimplicẽ promiſſionẽ, ſine conditione & nullo onere.* Secundo. Per abſolutam promiſſionem cum onere, vt iuramento, munere, vel onere aliquo accedente. * Tertio. Per conditionatam promiſſionẽ, & eſt quadruplex, vt ſupra cap. 15. Qua

to. Fiunt per virtualem promissionem, nempe, cum duo impuberes, vel alter tantum, contrahũt de præsenti, tunc enim non matrimonium, sed sponsalia dicuntur: anni autem pubertatis in fœmina sunt 12. in maribus 14. & ante nõ est matrimonium.

De differentiis matrimonii, & sponsalium. Cap. 17

TRes sunt differẽtiæ. Prima quod matrimonia clãdestina sine testibus & parocho nullam habeant efficaciã; spõsalia verò clandestina á Conc. Trid. nõ annullẽtur. *Secunda, Matrimonium nõ potest contrahi nisi post annos pubertatis contrahentium, sponsalia verò contrahi possunt statim post septennium. ^ Tertia, Sponsalia soluuntur in septemdecim casibus; in quibus matrimonium indissolubile manet, sunt

autem hi casus. * Primus quando sponsi mutuo promissionem sibi condonant. * Secundus cum alter ingreditur religionem, illico enim soluuntur sponsalia, etiam ante professionem. * Tertius per ordinis sacri susceptionem. * Quartus per votum simplex castitatis alterutrius, si ante sponsalia emissum erat, secus si post, in quo tamen alia est ratio voti religionis, nam etiam tunc tenetur ingredi * Quintus per matrimonium de præsenti cum alio, vel alia. * Sextus cum alter sponsorum proficiscitur in longinquam regionem, ex qua non expectatur tam velox reditus. * Septimus cum superuenit affinitas. * Octauus quando sponsi nolúnt ita habere sponsalia eorum nomine contracta ante annum septimum. * Nonus quãdo vno existente in culpa, non contrahunt matrimonium tempore statuto. * Decimus quando post sponsalia alter

incidit in morbum contagiosum, vel notabilem deformitatē. * Vndecimus si vnus illorum fornicetur nam tunc potest qui innocens est soluere sponsalia. Duodecimus cum alter illorū fit hæreticus aut infidelis. Decimus tertius si superueniat inter illos grauis inimicitia. *Decimus quartus si alter non stet conditionibus promissis, vel ex diuite tempore sponsalium, fiat pauper. * Decimusquintus si spargatur fama esse inter illos impedimenta matrimonii. *Decimus sextus cum alter illorum asperior est, ac rigidior. * Decimus septimus aliqua re superueniente, quę si fuisset ante sponsalia, illi ex causa rationabili non contraxissent.

De peccatis, quæ in matrimonio committi possunt. Cap. 18. & 19.

CONtrahẽtes multis modis possunt peccare, nempe ex defectu requisitæ intentionis, vt si desit necessarius cõsensus, ratione finis indebiti, & impedimentorum tàm impedientium, quàm dirimentium: & in diriméntibus solus Papa dispensat, & quidem difficulter admodum, quando in illis contraxerunt & addiderunt copulam, vt facilius Papa cum illis dispensaret. In vno autem casu potest Episcopus dispensare etiam in gradibus prohibitis nempe quando matrimoniũ contractum est in facie Ecclesiæ, & impedimentum est occultum, & scandalosa esset separatio, nec tã facilis ad Papam recursus ob paupertatem, vel alia de causa. Num vero ex parte modi contingit etiam peccari in vsu matrimonii?

* Primo ex defectu publicarũ denuntiationum, quæ ter & consequenter diebus festis debent fieri

in Ecclesia inter missarum solemnia, nisi ex causa dispenset Episcopus.* Secundo circa benedictionē, peccant enim sponsi, saltem venialiter, si ante benedictionem matrimonium consumment, debet vero hæc benedictio fieri ab ordinario, vel alio sacerdote de eius licētia: ita vt quiuis alius sacerdos sine illa præsumens illam adhibere, sit ipso iure suspensus quoad ordinario visum fuerit.* Tertio, circa tēpus, si contrahant tempore prohibito, quale est ab aduentu ad Epiphaniam, à septuagesima ad Dominic. in albis, siue exclusiue siue inclusiue, pro ratione loci. Quartò ratione indispositionis, nam qui contrahit in peccato mortali peccat mortaliter.

De peccatis in vsu Matrimonii.

Cap. 20. & 21.

IN vsu matrimonii pluribus cōtingit modis coniuges peccare

vt his sequentibus versibus patet:

Sit modus & finis sine damno, solue, cohære.

Sit locus, & tempus, tactus, nec spernito votum.

In * modo enim peccant coniuges, si contra naturã, vel extra vas naturale copulam habeant, aut seminent. Quando autem fœmina manet à parte superiori, aut vir à posteriori accedit delectatione tantus allectus, non est mortale, inquit Albertus Mag. & si ob indispositionem fiat, nullum peccatum.* Finis, est peccatum mortale, quando alter coniugum ita ad alterum accedit, ac si coniux non esset.* Sine damno, damnum mortale est, quando vir accedit ad vxorem grauidam cum periculo abortus, non autem si admenstruatam.* Solue, Debitum negans sine rationabili causa, peccat mortaliter, non autem si infirmatur vel damnum timet, aut alter

coniugum sit adulter, aut ante consummatum matrimonium velit ingredi religionem, ad quod iura dant illi duos menses, & quidem si vxor adulterata fuerit, non modo vir non tenetur illi reddere, debitum, sed tenetur non reddere, si reddēdo illa esset perseueratura, secus verò si non, aut aliud graue damnum timeret, vel nulla esset spes emendationis, vel si ipse etiam adulteratus esset, vel si iam antea cognouisset vxorem fornicariam, vel quando cum potuisset prohibere fornicationē ipsius, id non fecisset, in quibus tribus postremis casibus, tenetur etiam ipse reddere. Tenentur coniuges habitare in eadem domo, & thoro, & quamuis vxore fornicaria existente, vir possit diuortium facere, nunquam tamen soluitur matrimonii vinculum, sicut neq; quādo alter alteri est occasio peccandi, ita vt non possit se ab illo

berare, vel sit hæreticus aut infi-
delis, in quo tamen casu potest
qui innocens est, se ab alio sepa-
rare, quod & si similiter possunt si
ex mutuo consensu voueant casti
tatem, vel ingrediantur religionē,
vel vnus ingrediatur, altero e-
mittente votū perpetuū castitatis
" Sit locus, Locus aptus esse debet
ad debitū reddendum, qualis non
est sacer, in quo extra periculum
incontinentiæ reddere, est mor-
le. *Tempus, Ratione tempo-
nunquam fit mortalis matri-
nii vsus, nec etiam in Paschate Eu-
charistiam sumpturis, si desit con-
tempus. *Tactus, Extra tēpus copu-
læ habendæ, tactus p se non sunt
peccata mortalia, secus tamē si in-
de timeatur, vel habeatur pollutio
" Nec spernito votum, Si ante ma-
trimonium alter coniugum casti-
tatē vouerat, vel post de consen-
su alterius: tunc sine Papæ dispen-
satione copulam petere est mor-
tale, & alter illi potest negare.

De SACRAMENTO Extremę vnctionis.

TRACTATVS.

De Materia, & Forma Extremæ vnctionis. Cap. I.

MAteria Extremæ vnctionis est duplex, propinqua & remota: Remota est oleũ ex oliuarũ baccis expressũ ab Episcopo in ãniuersario Cœnæ Do

mini ſolemniter conſecratum Concil. Trident. ſeſſ. 14. cap. 1. Propinqua materia eſt vnctio, qua Spiritus Sancti gratia probe demonſtratur. Forma deprecatiua eſt hęc. Per iſtam ſanctam vnctionem, & ſuam piiſſimam miſericordiam indulgeat tibi Deus, quid quid oculorum, auditus, olfactus &c. vitio deliquiſti : Amen. Poſſet tamen (ſenſu non mutato) aliquod verbum variari, vt ex Concil. Flor. colligere licet.

De Miniſtro huius Sacramenti. Cap. 2.

MIniſter eſt Sacerdos ordinatus cũ intentione faciẽdi, quod facit vel intendit facere Eccleſia: & alii, non curato ſine curati licentia hoc ſacramẽtum miniſtrantes, peccant mortaliter, & ſunt excõmunicati, ut ſupra lib. 1. cap. 36. niſi probabilis ignorãtia

aut ipſius

ipsius parochi ratihabitio excuset: et si in ipsa administratione contingat curatum infirmari, aut mori alter poterit supplere. Sufficit etiã in necessitate vnus sacerdos, sine Ministro, in qua posset etiã vnus, vnam partẽ intingere, & alius aliã.

Cui ministrandum, & quando Cap 3

MInistratur homini peccatori non infantibus ante septẽnium, neque amẽtibus, neque furiosis lucidis interualis carẽtibus, non suspẽdendis, aut decapitãdis vel bellum intrantibus, aut mortali peccato notorio irretitis, qui postea in phrænesim incidunt, nisi signa contritionis ostenderint. Cæteris verò infirmis, etiam vulnere vel partu, aut senectute confectis, ministranda est. Mortuis non datur: & si du-

biretur, non debet dari nisi sub conditione, nec est mortale exti gligentia illam omittere, si scan dalum & contemptus absit, qui adesset si oblata occasione & tem pore eam suscipiendi, non susci peretur. Vnctio facienda est in quinque corporis partibus, oculis videlicet, auribus, naribus, ore, ac manibus. Et si vna pars relin quatur, irritum & iterandum sacramentum. Pedes, & Reni etiam in hominibus ommittun sunt sine vnctione, honestatis gra tia. Cum vnctione sunt pron tianda verba: sed non est nece ria mathematica simultas, sca nec in baptismo, & cofirmatio

De effectu Extremæ vnctio
Cap. 4.

EXtremæ vnctionis effectu sũt quatuor. Expulsio reli arũ ex peccatis remanent

ctitas animæ, Spiritualisque recreatio, Sanitas corporis, cum expediens fuerit, vel certe robur ad facilius mortis incommoda sufferenda. Gratia gratum faciens, & subsidium contra diras hostis aggressiones. Concil. Trident. sess. 14. c. 2.

TRACTATVS De Septem Peccatis mortalibus.

Quid sit peccatum mortale, & quotuplex. Cap. 1. & 2.

PEccati diffinitioni supra lib. 3. cap. 2. & 3. expositę, hic duę adduntur particulę scilicet, De

gratia peccantem priuans,& mor
ti æternæ adiudicans, Homo nam
que per mortale peccatum priua-
tur Dei gratia & ex amico fit inimicus: & hic est vnus peccati effe
ctus, qui macula vocatur: Alter
est pœna, quę sequentibus verbis
exprimitur, & est duplex, damni
& sensus, damni, est priuatio di-
uinę visionis: sensus est sempiter-
nus dolor, veniale verò vt non est
absolute contra regulam, sed tan-
tum non secundum finem illius,
ita nec gratia priuat, nec æternam
pœnam meretur, ideoque & fa-
cile veniam cosequitur, quæ cau-
sa est vt dicatur veniale. Peccata
mortalia sunt septem, quæ in vna
dictione continentur, SALIGIA,
id est, Superbia, Auaritia Luxu-
ria, Ira, Gula, Inuidia, & Accidia,
Quę quidem non omnia morta-
lia sunt, sed mortalium radices,&
ideo mortalia communiter vo-
cantur.

Quid sit Superbia, quot eius species, & remedia Cap. 3. 4. & 5.

SVperbia est* appetitus celsitudinis peruersæ voluntatis. Superbia namque non in cognitione, sed in appetitu, & volitione, cõsistit; qua homo vult esse supra id, quod est, vel potest esse, siue talé se reputet, siue talis velit haberi in aliorum iudicio. Superbiæ quatuor sunt species. * Prima. Cum quis sic propriam excellentiam appetit, vt bonum, quod ab altero habet, sibi tribuat, ac si ex se haberet illud, ponendo in ipso vltimum finem.* Secunda, Quando bonum quod ab alio habet, absque suo merito habere cupit, vel sibi tribuit ac si ex proprio merito ei datum esset. Tertia· Cum quis sibi illam excellentiam tribuit, quam non habet, & de contrario

dolet.* Quarta. Cum quis excellentiam ſuper alios appetit, & in ea finem ponit, idque v . propria, aut aliorum exiſtimatione, vel deſiderio, vel opere, quatenus alios contemnit, & vult ſe ab illis tanquam excellentem haberi, & de contrario dolet. Eſt verò ſuperbia tunc tantum peccatum mortale, cum quis Deum ipſum contemnit, vel eius præcepta, ita vt ſit paratus ea potius tranſgredi, quam quidquam de ſua illa excellentia remittere, vel ex ea damnum notabile infert proximo in bonis honoris, vel famæ. Optima remedia contra ſuperbiam ſunt, vt homo humiliter conſideret ſuam imbecillitatem, paupertatem, & impotentiam. Et quàm ſit Angelis, & Dæmonibus inferior, & quod quicquid habet, acceperit a Deo, cui ſuperbiendo maximè ſit odioſus: multis ſe priuat bonis,

& virtutibus, quibus se indignum perpetuò reddit.

De Vana gloria. Cap. 6. & 7.

VAna gloria est* appetitus glorię inordinatus ; & in hoc à superbia differt, quia superbia ipsã appetit excellẽtiam: Vana gloria autẽ excellẽtię manifestationẽ. Glorię appetitus si secũdum rationem sit, non est peccatum, sed actus bonus: vt si sit de re quæ mereatur laudem, & in bonum finem, vt Dei laudem, vel proximi vtilitatem, vel etiam ob propriam siue corporalem, siue spiritualem. Tunc autem erit peccatũ, quando erit inordinatus, id est quando quis appetit gloriã de eo, quod non habet, vel supra dignitatem suam, & merita. Quatuor autem in casibus est mortale.* Primo, quando quis de mortali culpa laudari cupit, vel ob mor-

talem finem : aut ob id paratus est diuinum transgredi præceptum, aut si notabile inde proximo sequatur nocumentum : in aliis autem est tantum veniale, vt si quis oret, aut ieiunet, ob vanam gloriam. Vanæ gloriæ sunt octo filiæ: Iactantia, Hypocrisis, Contentio, Discordia, Pertinacia, Inuentio nouitatum, Curiositas, & Inobedientia.

De Iactantia, & Hypocrisi, Cap. 8. & 9.

IActãtia est * manifestatio proprię excellentię supra id, quod vel in se vel in aliorũ existimatione est verbis inordinate facta. Vnde cũ Superbia sit appetitus excellẽtię Vana gloria sit appetitus manifestationis excellẽtię, Iactãtia est ipsa manifestatio, quam quis de se facit verbis, & proinde ab vtroque differt. Est peccatum mortale si de re morali sit, vel cum De

niuria, aut proximi detrimento vt si quis iactet se esse magnum medicum, cum non sit: aut ob malum finem. Hypocrisis est * simulatio virtutis, cuius duæ sunt species vna, quando homo non vult virtutem, sed vult videri eam habere; altera quando non habet virtutem, sed vult videri eam habere, & illa longè deterior est ista, semper tamen quocunque fine fiat, est peccatum, etiamsi quis virtutem fingat ne scandalo sit cæteris, quia est mendacium quoddã, & ideò saltem est peccatum veniale: esset autem peccatum mortale, si esset vel ob malum finẽ mortalem, vel si coniungeretur cũ voluntate transgrediendi aliquod præceptum.

De Contentione, Discordia, & Pertinacia. Cap. 10. & 11.

COntẽtio est * sermo cõtrarius alterius veritatẽ oppugnans,

quæ impugnatio, si disputandi at gratia, non est peccatum, modò tanem non sit excessus in modo, vt si scandalum aliis ingerat vel misceantur iniuriæ, aut fiat ci magna excandescentia & perturbatione: in quo saltem inest peccatum veniale: secus verò quando solum fit cum feruore habita ratione rei, loci, & personæ, quia tũc potius est actus studiosus. Impugnare autem veritatem cognitam alia intentione quam non disputandi, interdum potest esse mortale, vt si veritas illa esset in Dei honorem, vel vtilitatem proximi: interdum veniale, vt si esset veritas qualis in aliis scientiis reperitur. Discordia est* voluntatis contrarietas, quę si animo contradicendi habeatur, & contra Dei honorẽ, vel in proximi graue detrimentum, est peccatum mortale: secus verò tantum veniale, & si desit talis animus, ita vt contrari-

etas solum sit, quia vtrique ratio saltē probabilis dictat illud volendū esse, quod vult: nullū erit peccatū. Pertinacia est* animi adhęsio in propria sentētia, plusquā opus sit & est mortale si circa rem mortiferam, aut directè cōtra Dominū, vel proximum fuerit, vt in rebus moralibus & medicinæ.

De Curiositate quid sit. Cap. 12.

CVriositas est* appetitus sciēdi inordinatus. Per sciētiā intellige cognitionē intellectus, & sensus, quorum appetitus dicitur inordinatus, & peccatum quādo est cōtra rationē, vt quando est supra captum, vel non pertinet ad addiscentem. In quo semper inest peccatum saltem veniale, quando autem res scita, aut visa, est probabilis occasio peccati

mortalis, vt in homine carnali ex industria vidente aimalia coeuntia, est peccatum mortale. Similiter si res fuerit prohibita, vt Magica ars, vel res sit de se mala, aut propter malum finem, vt cum quis proximi defectus scire cupit vt eum infamet, aut ad peccandum inducat, vel aliquem interroget de eo quod sub iuramento tenetur occultare.

De Inuentione nouitatum, & Inobedientia. Cap. 13. & 14.

INuētio nouitatū, quā Sanctus Thomas, prēsumptionē nouitatum vocat: est* vitium, quo quis vult aliqua mirabilia exhibere, vt aliorū comparet laudē; quod quidem de genere suo est veniale, nisi contra Dei honorē, & in proximi notabile fuerit damnum. Inobedientia est* trāsgressio mādati

ſuperiorum, qua mandatũ eſt. Tenemur autem obedire primum DEO, deinde Superioribus.

In quibus obediendum.

Cap. 15.

DEo in omnibus, & ſemper obediendũ, ſuperioribus autẽ hominibus nõ ſic: nã nõ tenetur quis obedire ſuperiori ſuo in actibus purè interioribus intellectus, & voluntatis, vt docet S. Thom. 2. 2 q 104. ar 5. Dicenti enim ſuperiori ſuſtine hanc opinionem, vel crede hoc dictum, ſi dubium ſit, ſubditus non tenetur ei parere, quia in his anima Deo ſoli ſubditur, pertineret tamen id ad perfectionem obedientiæ, ſi inferior etiam in illis obediret, & tenetur in illis obedire, quando ſine illis nõ poteſt conſiſtere actus externus qui præcipitur. Deinde nemo debet obedire ſuperiori in

iis quæ ad ſtatum proprium pertinent, vt ſi pater præcipiat filiæ, vt nubat aut continentiam ſeruet non tenetur obedire. Item nemo debet obedire inferiori contra ſuperioris præceptum præcipienti: duobus enim inæqualibus ſuperioribus oppoſita præcipientibus, maiori parendum eſt, vt Papæ potius quam Epiſcopo, & Abbati prius, quàm Priori: nulli verò malum præcipienti: quando tamen res eſt dubia ſuperiori parendum eſt, ſed nemo tenetur illi obtemperare in iis, in quibus ſuperioritatem non habet: vnde ſi Papa cuipiam vineam quam habet alteri vendere, vel donare præcipiat, nō tenetur ei obedire: ſicut nec voluntati occultæ cuiuſuis ſuperioris, etiam ſi ſubdito fuerit nota; eſſet tamen hoc perfectionis. Vnicuique igitur ſuperiori obediendum ex obligatione in quibus eſt ſuperior, & duobus æqualibus

superioribus diuersa præcipientibus parendum est illi qui præcipit in ordine ad nobiliorem finem, inquit Sylu.

De obedientia Religiosorum respectu Prælatorum. Cap. 16.

NVllus Religiosus tenetur obedire suo Prælato in his, quæ pertinẽt ad maiorem perfectionem, quam sua Religio dictet S. Thom 2. dist. 44. q. 2. a. 3. vbi addidit in tribus obediendum Prælato. *Primò in iis, quæ in Regula continentur. "Secundo. In iis sine quibus in Regula contẽta impleri nequeunt. Tertio. In pœnis inflictis propter culpas, contra duo priora cõmissas. In iis autem quæ sunt cõtra Regulam, & præter Regulæ intentionẽ, vt frangere ieiunium regulare, no tenetur monachus obedire quãuis prælatus possit in eo dispensare, quod in

telligendum est nisi id præcipia ex causa rationabili, vt quia ieiunium subdito officit. Est autem pec.mor. transgredi superioris præceptum, quando transgressio est contra aliquod Dei, vel Ecclesiæ præceptum, aut ille habet intentionem obligandi transgressorem ad mortale, quod illis verbis innotescere solet, cum aliquid in virtute sanctæ obedientiæ præcipitur, raro tamen prælati habent talem intentionem.

De obedientia Legum. Cap. 17. & 18.

LEx* est rationis ordinatio, homini quid agẽdũ, quidue nõ agendũ sit ostẽdens,& in cõmune bonũ instituta, illius sunt quinque actus,præcipere,prohibere,permittere,punire, prẽmio afficere. Diuiditur in diuinã,& humanam.* Lex diuina est illa, quæ est

à Deo

à Deo immediatè instituta est, vt lex Moysis, & Euangelica. *Humana est ab hominibus inuenta, per potestatem à Deo illis datam, qualis est, quę à Principibus vel Republica obseruari iubetur.* Diuina rursus diuiditur in naturalé & positiuam, naturalis est quam Deus rationi hominis naturaliter sculpsit, ita vt hominis ratio eam dictet, cuiusmodi sunt decem Decalogi Præcepta. *Diuina positiua est, quæ à Deo data, & homini per reuelationem est manifestata, quæ ex iudicialibus, & cæremonialibus veteris testamenti, & præceptis, & sacramentis Euangelicæ fidei constat. *Humana rursus diuiditur in Ecclesiasticam, & secularem, illa est à Papa, Concilio, vel Episcopo. Hæc ab Imperatore, Rege, vel Republica instituta. Lex humana iniusta, non ligat, ad hoc autem quod iusta sit, quatuor requiruntur. *Primum, vt in bonum

commune lata sit: *Secũdo, oportet vt sit ab habente potestatem. *Tertio, de re bona. *Quarto, Forma bona, hoc est ciuium proportionem seruet, nec oneret magis, nec onerandum minus. Sed rursus ad hoc quod hæc lex iusta obliget, alia quatuor requiruntur, nempe, vt sit promulgata, à maiori parte recepta, nec per aliam legem, vel consuetudinem sit abrogata, & quod non sit inuincibiliter, vel probabiliter ignorata. Et hæc de lege humana: nam omnis lex diuina est iusta, & promulgata & recepta: vnde sola ignorantia excusat ab obseruatione illius, & quidem solius positiuę, nam naturalis nunquam ignoratur inuincibiliter; quare infideles qui nunquam de Euangelio audierunt, nec Christo credunt, non peccant quidem peccato infidelitatis in non credendo, sed damnantur propter alia peccata cõtra ius naturale, re-

diuiunm simpliciter commissa.

Quanta sit legis obligatio. Cap. 19.

NOn semper lex diuina obligat ad mortale, vt constat de mẽdacio iocoso, & verbo otioso, sed tantum in materia graui, & actu deliberato. Humana etiam ciuilis, & Canonica ad mortale obligare possunt: cum videlicet superiores id intendunt, vel materię aut pœnæ grauitas id demonstrat, aut communis Ecclesiæ vsus, vel doctorum opinio hoc docet, vt de præcepto ieiunii, & communionis in Paschate: agere autem contra verba legis, sed secundum intentionem illius, non est peccatum, modo id non facile fiat sed cum causa vrgenti.

De varia doctorum opinione circa legum obedientiam.
Cap. 20.

TRia sunt dubia circa legum obedientiam. Primum de lege Ecclesiastica purè præceptiua, an obliget ad mortale, cui respondet Nauar. capit. 23. nu. 48. Tunc obligare, cum in lege ponitur præceptiuum verbum, prohibitionem vel necessitatem indicans, quia tunc talis videtur Papæ intentio verbis expressa, vt patet ex Clement. cap. exitum, de verborum significatione. Quando verò lex vtitur huiusmodi verbis: Declaramus, ordinamus, &c. tunc inquit Nauar. non obligat ad mortale, sed melius Caietanus, nec verbum præceptiuum in materia leui obligare ad mortale, neque quando materia grauis est, requiri ad hoc tale verbum. * Secundum dubium

est circa leges ciuiles: ex quibus idem Nauar. arbitratur illarũ nullam ad mortale obligare, nisi alio iure sub mortali idem præcipiatur: alioqui. n. non constat legislatorem talem habuisse intentionem. Verius Soto, illas, quando materia grauis est, obligare ad mortale, nec requiri aliam declarationem intentionis legislatoris. De legibus pœnalibus tertium extat dubium, an videlicet, obligẽt ad culpam. Ad quod Caiet. Alphons. à Castro, & Nauar. respõdent, quod non, nisi res aliàs de se mala sit: Sotus, Sylvester, & Armilla dicũt, tunc tales leges obligare ad mortale, cum aliquid sub graui pœna præcipiunt, vt puta, sub amissione bonorum temporalium, quorum sententia tutior videtur, modo simul supponatur materiam esse grauem: pœnam tamen nullus tenetur soluere ante condemnationem.

De obedientia clericorum ad Episcopũ, & Filiorũ ad patrem. Cap. 21.

CLerici in iis, quę ad statum clericalem pertinent, & laici in iis quæ ad salutẽ animæ tenentur suis Episcopis obedire, & absque rationabili causa, in re graui eorum mandatis non obsequentes, peccant mortaliter, non tenentur tamen clerici de iure cõmuni obedire sęcularibus potestatibus, nisi in iis quæ vt laici faciũt Filii similiter dum sunt sub patris potestate, parentibus quo ad bonos mores, & res domesticas obedire tenentur, & in re graui nolle parere est mortale, sicut spernere obligationem quam habent ad parentes.

De Præsumptione & Ambitione. Cap. 22. & 23.

SEcunda Superbiæ filia est præsumptio, quæ est * appetitus se exhibendi supra propriã potestatem, & est mortale, quando proximo infert notabile detrimẽtum, vt cum Medicus ignarus vult medicinæ artem sine scientia in ægrtois exercere, vel cum quis aliquid supra potestatem, ac vires audet, ac facit, vt si audiat cõfessiones cum non habeat facultatẽ, iudicet cum non sit iudex, vel exponat se periculo peccandi, cum sibi satis conscius sit, suę infirmitatis, etsi in eo confidat diuinæ misericordiæ, cum id sit tentare Deum: aut contra diuinam legem aliquid à Deo sperat. Ambitio est tertia superbiæ filia, quæ est * inordinatus appetitus honorum, & dignitatũ. Ex genere suo est veniale, nisi de re mortali, honorem, vel gloriam appetat, vel dignitates modo illicito, vt vsuris aut simonia, quęrat:

aut finem vltimum in his reponat vel ob malum finem honoré appetat, vt scilicet de inimicis vlciscatur: tũc enim peccat mortaliter

De Auaritia & quale sit peccatum. Cap. 24. 25. & 26.

AVaritia est secundum vitiũ capitale: & est * amor immoderatus habendi. Auaritia namque consistit in acquirẽdo, vel retinendo pecunias, & res alias vtiles immoderato affectu. Quando versatur circa aliena ea accipiendo, vt non restituendo est contra iustitiam, & peccatũ mortale nisi leuitas materiæ, vel deliberationis defectus excuset. Quãdo versatur circa propria est cõtra liberalitatem, & nõ est mortale nisi charitatis præcepto opponatur, & idem dicendum est de prodigalitate quæ Auaritiæ opponitur, si-

liæ Auaritiæ sunt septem: Obdutatio, Inquietudo, Fraus, Fallacia, Periurium, violentia, & Proditio.

De Eleemosyna quid sit : Et qui Eleemosynas possint elargiri, An Religiosi & Filii. Cap 27. 28. 29. & 30.

ELeemosyna est, opus, quo indigentiæ alicuius subuenitur, ex misericordia procedens. Velle enim subuenire, est misericordiæ actus, & illud opus, quo talis subuentio fit, Eleemosyna nuncupatur, quę latinè misericordia dicitur. Inferiores & famuli possunt Eleemosynas facere, in extrema & graui necessitate, de bonis dominorum, & quando expressam, vel tacitam habent superiorum facultatem. Religiosi vltra hos casus, etiam cum iter faciunt, vel student in aliqua vniuersitate,

de sibi à Prælato concessis, vel de iis, quę ab aliis in Eleemosynam receperunt. Vxores cum domus habent administrationem, vel etiam ad certum tempus, vt si vir in longiquas profectus est regiones aut aliquid possident vltra dotem aut aliquid suo labore lucraatur, vel etiam si maritus nimium, sit auarus. vt fecit Abigail 1. Reg. c. 25. vel si res illa de qua faciunt Eleemosynam sit ipsis cum marito communis : nec futurum est vt propterea maritus incidat in inopiam, vel si Eleemosyna sit modica. Filii cum habent bona castrensia, vel in bello acquisita, aut manent in studiorũ vniuersitatibus, cum iter faciunt, aut habent aliquod officium publicum, vt Aduocati, aut beneficium Ecclesiasticũ, vel Eleemosynæ sunt tenues.

Quibus facienda est Eleemosyna & ex qua re. Cap 31 &32.

Bonis,& malis, fidelibus, & infidelibus indigentibus, faciendaeſt Eleemoſyna : miſericordia namque ex charitate naſcitur,quæ nullum excludit. Illis tamen præcipuè eſt eroganda, qui nec laborare, nec aliunde ſibi victum quærere poſſunt. Otio verò torpentibus, & occaſionem inde ludendi ſumentibus, non eſt facienda,vt corrigantur,inquit D. Aug. Indigenti in pœnam ex Iudicis ſententia, non eſt præceptũ, vt ei ſubueniatur, quinimo taliter damnatus,poteſt etiam cibum paratum non ſumere, & fame moti: quamuis Caiet. contrarium docuerit, poteſt tamen quilibet cibos illi ſuppeditare, modo non ſit miniſter iuſtitiæ, iis vero qui bello iuſto,ad extremam ciborum inopiam redacti ſunt, nemini dare cibos licet, ſecus, ſi iniuſtum eſſet bellum. Eleemoſyna faci-

enda est ex propria substantia non ex aliena, nisi esset: extrema necessitas, nec de acquisitis, contra iustitiam, furto, vel vsura. De male tamen acquisitis, contra charitatem, vel ex fornicatione, vel adulterio, aut homicidio, potest fieri Eleemosyna.

Quando Eleemosyna sit in præcepto. Cap. 33. 34. & 35.

PRimo notanda est hæc regula, De necessariis simpliciter ad vitæ propriæ, & familiæ conseruationem, nullus alteri indigenti, etiam in necessitate posito succurrere tenetur, nisi persona indigens sit Reip. perneceſſaria, & ex ea bonum commune pendeat. *Secunda est, ex necessariis tantũ ad decẽtiam status, tenetur homo necessitate laboranti Eleemosynã erogare, non autem extra necessitatis statum. * Tertia regula, De

superfluis, quæ nullo modo ad decentiam, & status commoditatem pertinent etiam respectu futuri, de præcepto sub mortali facienda est Eleemosyna, vt S. Tho. Anton. & Richar. monent.* Quarta. In necessitatibus communibus, & nõ grauibus, nullus sub mortali tenetur de superfluis Eleemosynas elargiri, quamuis optimum sit consilium omni indigenti præbere: nam vt S. August. docet, superflua diuitis necessaria sunt pauperi Imo verò probabile est, ad hoc esse quoque obligationem quod sãcti videntur indicare, nulla tamen priuata persona tenetur inquirere pauperes, vt illis subueniat, tenentur verò publicæ, vt Episcopus & quilibet superior in sua ditione.

An ad pinguiorem fortunã reuersus teneatur ablata restituere. Cap. 36.

IN extrema necessitate quilibet ab alio accipere potest, quæ sibi sunt necessaria. Quando autem peruenerit ad pinguiorē fortunam, Scot. & Sor. docent non teneri ad restitutionem: Adrianus verò & Nauar. docent quod sic. Prima opinio probabilis. Sed adhuc probabilius est quod si ille ex superfluo non acceperit, teneatur restituere, vti & Medinæ perplacet. Quinimo si ex superfluo accepit, adhuc tenebitur restituere, quia ex hypothesi poterat illi alius ipsi succurrere tantum mutuādo. Quæ omnia adhuc veriora sunt quādo qui necessitatem patitur in vno loco, vel ratione alicuius rei, habebat in alio loco, vel in alia res venderetur, vnde illi subueniret.

Dubia quatuor circa Eleemosynæ largitionem. Cap. 37 & 38.

